possunt sunt tres; *s r l* in qibus formandis organa oris non clauduntur perfecte, sed continuatur spiritus transpiratio per os; & ex varia percussione palati per linguæ extremitatem (qæ organum pronunciationis præcipuum est) formantur.

S. formatur per contactum palati & laterum linguæ, media parte linguæ a contactu abstinente; per quam tanqam per fistulam, spiritus sono sibilo emittitur. De sono hujus Literæ audivi virum doctum hoc peculiare observantem; qod neqeat efferri sono *claro* sed ad modum *susurri*: qod qidem verum est, sed non de hac litera sola; nulla enim est litera aspirata ex tribus mutis, qæ sono claro proferri potest: Ut hoc distinctius percipiatur consulo, ut inter pronunciandum diu hæreatur in harum literarum formatione: & sic observabit ingeniosus qilibet, licet altissima voce exclamet, proferendo vocem ex his literis & vocalibus conflatam; dum sonat vocales sonus erit clarus; sed cum ad has literas sonandas pervenitur, statim sonus clarus vanescit in susurrum, *e, g, as with life.*

Sonus *r* est fortis vibratio extremitatis linguæ contra palatum; hinc est qod qi nervos linguæ habent debiles, non facile formant hunc sonum.

L, formatur modo contrario qo *S*, extremitate scil. linguæ palatum tangente, lateribus vero a contactu abstinentibus, ut transmittatur spiritus. Hic notetur: nihil me unqam magis vexavit, qam

invenire

invenire veram differentiam inter literas *n* & *l*; auribus enim percipiebam ſonos diſtinctiſſimos, at vero in organorum contactu, unde omnem ſonorum differentiam exoriri ſatis ſciebam, vix qidem ac ne vix, per multos dies differentiam ullam obſervare potui; ſiltem qam deſcribere poteram. Verum ex jam dictis, & ſtatim dicendis ſatis clare deſcribi poteſt harum literarum differentia; in formatione enim *L* ſpiritus per os tranſmittitur, in *n* per naſum.

Soni perfecte clauſi ſunt novem, qi dupliciter ſubdividi poſſunt; vel primo, ratione diverſitatis organorum qibus formantur; & ſic in tres ternarios numeros dividuntur, *labiales m b p linguales n d t* & *gutturales f g k*. Vel ſecundo diſtingui poſſunt ſecundum diverſitatem ſoni editi in iis formandis; ſecundum qam differentiam ego eas hic diſpoſui utpote inſtituto meo accommodatiorem; & ſic ſunt vel *Naſales* ſeu *Tranſpirantes m n f* vel *Suffocatæ b d g* vel *Mutæ p t k*: Nam ratione organorum pronunciationis præciſe, tres tantum ſunt literæ perfecte clauſæ; ſed hæ tres clauſuræ multiplicatæ per trinam differentiam ſoni faciunt novem.

Naſales ideo ſic voco, qod dum organa oris clauduntur, continuatur ſonus per emiſſionem ſpiritus per nares; clauſis enim naribus, hæ literæ formari neqeant. De his tria hic monenda ſunt. Primo ex hac naturali & genuina ſonorum analyſi

detegi (vel saltem confirmari) literam seu sonum vere simplicem dari, qæ vulgo per duas literas diversorum organorum, ideoque in eadem syllaba minime unibilium, absurde scribitur: Hic enim sonus ex natura rei ipsius, non minus facilis est vel in principio vel fine vocis sine alia consonante, quam aliæ duæ literæ nasales *m* & *n*; licet respectu nostri non ita sit; nam nos nihil facile facimus nisi quod sæpe facimus. Secundo, cum in vulgaribus nostris linguis nullum habeamus Characterem simplicem ad exprimendum hujus soni valorem; ideo mutuatus sum Characterem *f.* ad hunc sonum significandum. Tertio, propter hanc causam Characterem *F* pro dicto sono substitui; qia hic mihi propositum est omnibus modis facilitati consulere, (qæ etiam causa fuit, qod omnes alios sonos simplices rejecerim; qia pauci vel nulli eorum sunt, qi facile pronunciantur ab omnibus populis; sed apud varios populos admodum varius est eorum usus) ideoque hunc sonum, licet perfectissimum & distinctissimum ab aliis; cum tamen a nullo populo cujus literæ ad nos pervenerunt sit usitatus, nisi ante suffocatum vel mutum sui organi (& tunc qidem Charactere proprio non scribitur; Græci enim per γ ἄγγελος; aliæ gentes per *n* ut *languor*, *anger*) ideo inqam, hunc sonum ex hac lingua ejeci; cujus loco substitui literam *f*, facilis & distincti soni. Si tamen aliter visum fuerit viris doctis, poterit retineri sonus proprius

prius literæ gutturalis *Transpiramis*, seu *Nasalis* sub Charactere soni *f*.

Suffocatæ b d g formantur eadem clausura organorum qa *Nasales*; sed spiritu magno nisu retento & suppresso in gutture. Hic notetur literam *g*, ut vulgo in *Georgius* sonatur non esse literam simplicem; sed compositam ex *d* & *sh* qasi *dshordshius*.

Literæ *Mutæ* formantur eadem clausura organorum qa supra dictæ; sed omni interno spiritus motu & sono cessante post organorum clausuram factam.

Preter has duodecem consonantes principales jam enumeratas, omnibus hominibus organa illæsa habentibus pronunciatu faciles; qibusqe solis (ut dixi) ideo hic usurus sum; alii sunt soni simplices ex his orti, ni. exaspiratione dictarum *suffocatarum* & *mutarum* oriuntur sex; *v f* ex *b p*; *th* ut sonatur in *the* & *tuhe* ex *d*; *th* ut sonatur in *thrice*, ex *t*; *gh* qi (sonus est germanicus) ex *g*; & χ ex *k*. De his notandum primo qasdam harum aspiratarum, licet duabus characteribus descriptas, esse tamen revera simplices sonos non minus qam *f* & *v* quæ unico charactere scribuntur. Secundo, Nationes exteræ male accusant nos Britannos *blasitatis* dum literas *d* & *t* aspirate pronunciamus; qui soni illis durissimi sunt. Sic populo Anglicano vicissim peculiare est, abhorrere a gutturalibus aspiratis: Corrumpit etiam ut plurimum sonos *a* & *i*

qasi *u* & *ai*, non tamen omnino respuunt Angli sonos *a* & *i*: familiares enim satis illis sunt hi soni, licet diversis characteribus notati: *a* enim per *aw* scribunt, & *i* per *ee*, ut *law*, *saw*, *peel*, *feel*.

Contigit aliqando verba habere cum curioso qodam rerum naturalium causas scrutatore, qi causam varietatis hujus sonorum apud diversos populos, Cœli soliqe temperiem assignabat: non qidem diffiteor causas naturales esse operativas in sonorum diversitate; verum causæ proximiores reddi possunt, qam regionum temperies, ni. corporis temperamentum; qod sæpissime plus diversitatis producit in hominibus in eodem loco natis, qam videmus inter alios in diversis mundi climatibus. Quare hoc certum est, causas naturales variare sonos qoad eorum modulationem; hoc est, qod sint graviores, clariores, asperiores, &c. at vero adscribere causam differentiæ sonorum, qæ ex distinctis organorum clausuris & contactibus oriuntur, vel Regionis, vel corporis ipsius temperamento; est revera ignorantiam veræ causæ differentiarum sonorum prodere: mihi enim experientia comprobatum est, posse Anglos gutturales aspiratas satis distincte pronunciare; ut etiam alios Populos gutturales linguales. Nulla igitur ratio reddi potest, cur Angli aversantur sonum χ; exteræ nationes vero *th*, qam cur Angli vocant *urbem town*, aliæ Nationes aliis vocibus.

Z est *S* suffocatum; hoc est differt ab *s* ut *d a s* vel *b a p*, &c.

Est & alius sonus simplex, qi paululum differt ab *s*, qi vulgo scribitur *ſh* Hæbræi proprio Charactere notant ש qi etiam dupliciter sonatur ni, *muto* & *suffocato* sono; unde oritur duplex litera, cujus sonus *suffocatus* nobis Brittannis non est usitatus, sed ni fallor Pollonis familiaris.

Tota essentia literæ *h* consistit in forti spiritus impulsu in vocalium prolatione; sive id fiat spirando, sive respirando; & hæc de sonorum simplicium numero & principalioribus differentiis.

Quemadmodum soni simplices aperti coalescunt in unum sonum continuatum, qi dicitur diphthongus; sic clausi sæpissime in unum continuatum sonum in eadem syllaba coalescunt: quare explicatis sonis simplicibus clausis, quasdam regulas de earum compositione tradam; ni. de principalioribus sonis Compositis, ut monui de diphthongis.

Primo, Hæc est Regula certa & universalis: Nulla litera unius organi naturaliter præcedere potest literam alterius organi, in principio syllabæ. Hinc excipiatur *s* quæ ante quamvis aliam in principio syllabæ, vel post quamvis aliam in fine syllabæ satis euphonice sonat; licet in nulla (quod sciam) lingua, suffocatis *b d g* præponatur, quod propterea nec ego hic feci: raro etiam invenitur ante *r*: Analogia tamen hujus Linguæ coegit me in quibusdam

bra, bla qua swa wrath sma

quibusdam vocibus componere *sr*: videbam enim sonum in se satis esse euphonicum & facilem: Lingua etiam Anglica admittit *r* post *sh* sonum maxime affinem; & quidem multo duriorem, ut *shrewd*, *shrine*. Videbitur fortassis *ff* (ubi per jam intelligo gutturalem *nasalem*) sonus non naturalis: verum ut supra demonstravi *f* solitarie sonari posse in principio syllabæ, non minus quam *n*; sic etiam compositio *ff* non minus est naturalis, quam *sm sn*.

Secundo, In fine syllabæ *Nasales* euphonice valde sonant ante *suffocatas* vel *mutas* ejusdem organi; ut *lamb*, *lamp*, *and*, *ant*, *long*, *ink*. Ubi notandum in *long* & *ink* non *n* sonatur; nec quidem sonari potest, sed gutturalis *Nasalis*. Durus tamen est Germanorum sonus componentium *Nasalem suffocatam* & *mutam* in eadem syllaba; ut *handt landt*.

Tertio, *Semiclausæ r l* bene componuntur in principio syllabæ cum *suffocatis* & *mutis*, qæ compositio mihi in seqentibus magni est usus: durius tamen paululum sonat *l* post *d* & *t*, qia eadem fere (ut dictum) clausura organorum formantur. Et licet analogia hujus linguæ postulat sonum *l* componi cum *d* & *t*; tamen evenit in ista parte Lexici qæ sub *d* & *t* est, paucas notiones habere proprie dictum *medium* cujus *l* est characteristicum.

Quarto, *R* & *l* in fine syllabæ ante quamvis aliam consonantem bene sonantur, sed post nullam.

Jamqe

Jamqꝫ doctrinam de ſonis ſimplicibus cum his obſervationibus abſolvam.

Primo, Omnium Linguarum Grammaticæ in Literarum numero vel defectivæ ſunt, vel redundantes; quoſdam enim ſonos complexos unico charactere, alios vero ſonos vere ſimplices duobus characteribus notant.

Secundo, Nulla ante-hac ratio *ordinis* literarum reddita eſt; ſed non minus fortuitus eſt *ordo* literarum quam inſtitutio vocum.

Tertio, Ex convenientia quam videmus reſpectu methodi in omnibus Alphabetis, manifeſtum eſt literarum Inventionem unicum Autorem habuiſſe; Literæ enim *A B* primum locum obtinent in Alphabetis omnium Linguarum. Quod ordo ſequentium Literarum varier, ratio eſt, partim quod quædam literæ poſtea additæ ſunt poſt primam inventionem; quædam etiam a quibuſdam Gentibus eliminatæ ſunt, cum quilibet populus literas recipiens Linguæ ſuæ adaptavit: aliæ ſunt variationes in numero & ſerie literarum apud varias nationes ex aliis accidentibus, quarum cauſas reddere eſt difficile.

Quarto, Ex ſonorum Analyſi hic tradita ſatis intellecta, ſtatim ſequitur eorum recordatio.

Quinto, Priuſquam caput hoc de ſonis abſolvero, docebo ex ſupra dicta analyſi Artem (quod quibuſdam forte non ingratum erit) tranſmutandi voces cujuſvis Linguæ in alias diverſiſſimas, & tamen

tamen ſermo ſic tranſmutatus eandem gratiam & euphoniam retinebit; adeo ut facillime diſcerni poſſet, qa lingua qis utatur, licet ſenſus verborum maneat omnino occultus; etiam ab illarum linguarum peritis. Ars breviter hæc eſt. Fiat commutatio labialium *m b p* cum dentalibus *n d t*; qod etiam fiat in earum aſpiratis; & commutatio *g* cum *k*, & *r* cum *l*; exemplum,

Pipile putapuræ legudams ſud pekmime thaki.
Syrtheſplen pemue Nuſam nebipalis athema, i.e.
Tytire tu patula, &c.

Nemo linguæ Latinæ gnarus, dum audit has voces recte prolatas, qi non ſatis percipiet eas eſſe Latinas, licet ita inverſas ut nihil intelligat ex iis.

CAP. II.

De Characteribus.

QEmadmodum ſcientia transfertur a homine ad hominem per organum auris, mediantibus ſonis; ſic etiam per oculi organum mediantibus figuris. Poteſt fieri communicatio per reliquos ſenſus; ſed tardius, ideoqe ad noſtrum inſtitutum nihil pertinet, qi medium communicationis breviſſimum & rationi maxime conſentaneum quærimus.

rimus. Si comparatio instituatur inter signa *vocalia & scripta*, communicatio in *sonis* multo est expeditior inter præsentes; sed hanc vincit communicatio per *figuras*, quod, cum *vox periit litera scripta manet*. Per figuras enim communicari potest inter absentes, & ad quamvis distantiam; & quod præcipuum est, rerum memoriam præservant.

Hic diligenter est advertendum quod eadem sit Ars signorum *audibilium & visibilium*: quot modis enim componi possunt (secundum regulas Artis) signæ simplices, & rebus significandis imponi; tot modis & eadem prorsus Arte, componi possunt & variari soni simplices. Veritatem hanc ulterius sic demonstro. Ubi Ars ibi Methodus, ubi methodus ibi numerus, ubi numerus ibi aptitudo, ut res numeratæ secundum ordinem numericum vel figuris vel vocibus significentur: quod satis est evidens ex signis numericis, a me in hoc opere traditis. Hoc noto propter imperitiam eorum (pro quo errore etiam homines docti sunt increpandi) qi Artem Signorum in *mutis figuris* hoc est *Characterem Universalem* (ut vulgo appellari solet) mirantur; sed de lingua nova audire non ferunt: Cum tamen nemo Artem communicandi per *figuras* tradere potest, qin eadem *Characteris* præcepta sint eadem ratione sonis applicabilia. Hoc qidem meipsum diu latuit, postqam deexerim hanc Artem in figuris: & sicut incredibile videbatur susceptum meum primum de Characterе muto,

non

non ſolum vulgo ſed plurimis viris doctis; hoc vero ſecundum adhuc magis fidem ſuperabat, etiam multorum qibus abunde ſatisfactum erat de Arte figurarum.

Quamobrem hoc non me adeo movet, qod pauci apprehendant Artem *Sonorum* & *Figurarum* eſſe omnino eandem; eſt enim hoc Artis Myſterium ſatis arduum: Sed admodum moleſte fero, qod videam omnes fere homines una voce *Characterem Realem* & *Mutum* expetentes; dum vero de *Lingua* audiunt, ab hac ut a vano & ſuperfluo Commento abhorrent. Quſi Linguarum confuſio nullo alio pacto eſſet reparabilis, niſi exſcindendo omnium hominum *Linguas*; ut ſolis *mutis Characteribus* fieret communicatio. An non qi legit hunc libcum, habet me ipſi communicantem animi mei ſenſa in Charactere *Muto*; non enim audit meas *voces*? Sed dicet, hic Character eſt *effabilis*. Verum qidem eſt. An propterea pejor & minus deſiderabilis? An voces aures offendunt? Si in ſignis inartificialibus (qalia ſunt voces omnium Linguarum) detur reſolutio *ſonorum* in *figuras*, & *figurarum* rurſus in *ſonos*; qæ Ars eſt egregia & utiliſſima; qanto magis debet hæc perfectio reperiri in Signis Artificialibus? Rogarem cui fini vel bono expetitur Character Realis *Mutus*? Sidicitur ad communicandum cum hominibus diverſæ *Linguæ*. Conſentio. Et ego hanc Artem hic doceo, longe compendioſius & facilius

qam

quam unquam cogitatum erat ab iis qi eam inter Literaturæ desiderata numerarunt; & quam est possibile ut fiat in tali *Characlere* qi in *sonis* non sit resolubilis. At dices, hic Linguam doceo. Resp. Si alicui non placuerit communicare per hanc Artem in *vocibus*; compescat *Linguam*, & obturet *Aures*, & sic communicare poterit in solis *mutis figuris*: ego enim nullam aliam differentiam agnosco inter qemvis *Characlerem* (Arte) excogitabilem ad communicandum, & *Linguam*.

Ratio autem qod homines adeo præjudiciis laborant contra *Linguam* novam, & *Characlerem mutum* mirantur; est primo partim propter famam *Characleris Universalis* seu *Realis*; qo nomine indigitata fuit hæc Ars ab iis qui de Literaturæ desideratis tractarunt. Secunda hujus rei ratio (quæ etiam reddi potest ratio cur viri docti nihil vel parum dixerunt de Lingua Philosophica, desiderata Artis enumerantes) est propter ignorationem hujus egregiæ veritatis; qod qicqid præstari potest in *figuris*, idem eadem Arte præstari potest in *sonis*, ut supra ostensum est. Tertio, vulgus plus *novitatem* & *Raritatem* Artium admirari solet, qm *veritatem*: communicare autem per signa mere *muta*, est qid novum & rarum; per *figuras* in *sonos* resolubiles est ordinarium.

Suadebant mihi Rei Literariæ amici & etiam mei, Artem hanc primo in *Mutis Characteribus* exhibere, *Linguam* reticendo; quo hominum curiositati,

riositati, ex rei omnimoda novitate magis placerem; atque sic ipsos ad ejus studium facilius allicerem. Verum hic non videbatur mihi bonus dolus, propter hanc rationem. Certum quidem est tantum esse hominis *curiositatem*, ut ad res *novas* & *raras*, quodam quasi curiositatis ardore & flamma omnes advolent: Verum non minus certum est, *fastidium* quoddam occupare mentes humanas post visas res *novas* & *extraordinarias*; nisi *usus* aliquis in illis percipiatur: At vero in iis rebus, quarum *usus* ipsas plus commendat quam *novitas*; licet homines tanto impetu in illas non ferantur; attamen cum *usus* sit bonum *permanens* & *perpetuum*, *novitas* vero cito *transiens*; si non tam avide eas amplectantur, amplexas tamen majori cum voluptate retinent. In duobus autem demonstro usum *Linguæ*, id est facilitatem communicationis, majorem esse quam si in solo *muto Charactere* hanc Artem patefecissem. Primo, Nulla subsidia mnemonica haberi poterant ad Characteres Radicales memoriæ imprimendos, qæ hic valde memoriam adjuvant. Secundo, In *Charactere* solo patefaciendo oportebat novas *figuras* formare, qæ licet paucæ admodum fuerant, & eadem Arte unibiles ad unicum perfectum Characterem constituendum, qa hic literæ ad unam vocem faciendam; tamen aliqid oneris memoriæ necessario secum attulissent: hic vero, retinentur *Characteres* prius noti omnibus Europæ populis.

Cum

itur (ut dictum) Ars *Characteris & So-*
em sit; omnino par erat & rationi con-
, ut quod facilius erat primo proponere-
im *Linguæ* usum prius calluerit, possum
acteris Artem spatio unius horæ docere.
ex hac Arte *usum* uere intendam, hac
Docendi usus sum, utpote fini meo maxi-
modato; ideoqe impresentiarum de
s Arte nihil plus addam, nisi quod; sicut
eci *sonorum simplicissimorum* & maxime
um; sic etiam *Characteres* erunt *sim-*
figura pulchræ & uniformes: nullæ erunt
ndentes, nulli apices eminentes.

CAP. III.

Rerum Serie Predicamentali.

a Doctrina de primis Signorum Ele-
s, qantum presentis Instituti ratio po-
brevitas sinebat: priusqam accedam
gra, ex his componendum, *rebusqe* ip-
ndum; necessarium erit *Rerum* ipsa-
s paululum introspicere: hoc enim est
remedium quærimus in aliis Linguis,
omina Rerum omnino fortuito, & sine

riositati, ex rei omnimoda novitate m
rem; atqe sic ipsos ad ejus studium f
cerem. Verum hic non videbatur m
dolus, propter hanc rationem. Certum
tantum esse hominis *curiositatem*, ut a
& *raras*, qodam qasi curiositatis ardore
omnes advolent: Verum non minus
fastidium qoddam occupare mentes hu
visas res *novas* & *extraordinarias*; nisi
in illis pereipiatur: At vero in iis reb
usus ipsas plus commendat qm *novitas*
mines tanto impetu in illas non feran
men cum *usus* sit bonum *permanens* &
novitas vero cito *transiens*; si non tam
amplectantur, amplexas tamen majo
luptate retinent. In duobus autem
usum *Linguæ*, id est facilitatem commu
majorem esse qam si in solo *muto Char*
Artem patefeciſſem. Primo, Nulla sub
monica haberi poterant ad Characteres
memoriæ imprimendos, qæ hic valde
adjuvant. Secundo, In *Characlere* sol
endo oportebat novas *figuras* formare, q
cæ admodum fuerant, & eadem Arte
unicum perfectum Characterem consi
qa hic literæ ad unam vocem faciendam
aliqid oneris memoriæ necessario secu
sent: hic vero, retinentur *Characlere*
omnibus Europæ populis.

Cum igitur (ut dictum) Ars *Characteris & Sonorum* eadem sit; omnino par erat & rationi consentaneum, ut quod facilius erat primo proponeretur: qi enim *Lingua* usum prius calluerit, possum illum *Characteris* Artem spatio unius horæ docere. Qare cum ex hac Arte *usum* uere intendam, hac Methodo Docendi usus sum, utpote fini meo maxime accommodato; ideoque impresentiarum de *Characteris* Arte nihil plus addam, nisi quod; sicut delectum feci *sonorum simplicissimorum* & maxime euphonicorum; sic etiam *Characteres* erunt *simplicissimi* & figura pulchræ & uniformes: nullæ erunt caudæ dependentes, nulli apices eminentes.

CAP. III.

De Rerum Serie Prædicamentali.

ABsoluta Doctrina de primis Signorum Elementis, quantum presentis Instituti ratio postulabat, & brevitas sinebat: priusquam accedam ad *signa integra*, ex his componendum, *rebusque* ipsis imponendum; necessarium erit *Rerum* ipsarum naturas paululum introspicere: hoc enim est malum, cui remedium quærimus in aliis Linguis, quod prima nomina Rerum omnino fortuito, & sine

ullo consilio vel respectu habito ad res ipsas pro quibus supponuntur sint imposita. Cum enim *Signa* a nobis pro *Rebus* ipsis supponantur, omnino rationi consentaneum est, ut Ars *Signorum* Artem *Rerum* sequitur. Et sicut judico *Metaphysicam* & *Logicam* unicam tantum constituere Artem; sic *Grammatica* non aliter, vel plus differt ab his, quam *Signum* a *Signato*: cumque hæc correlata sint, omnino eorum eadem debet esse scientia. Quare, si cum Ratione *Nomina Rebus* imponere velit, primo oportet in Chaos istud Mundi Ideatis in animo existentis, per quasi creationem Logicam, formam, pulchritudinem & ordinem introducere; qo facto facile erit ejus partes Nominibus aptis appellare. Sicut enim manus pictoris in sculpendis Imaginibus, per internam Mentis Ideam ex objecto extrinsecus viso genitam, regitur; sic Grammaticus secundum Ideas & Regulas Logicas a Rerum ipsarum natura extrinsecus existentium petitas, Nomina illis imponere debet. Hæc autem ordinata Series Rerum vulgo dici soleat *Prædicamentum*: De qo in genere pauca hic adjicienda sunt.

Opinio est quorundam hujus Sæculi Scriptorum, qi in quibusdam Philosophiæ partibus Inventores, in omnibus vero Reformatores se jactant; nullum esse usum *Doctrinæ prædicamentalis*; hoc est revera, strictam Methodum in Artibus docendis non esse necessariam; qo nihil absurdius &

Phi-

Philosophio indignius doceri potest. Quo enim tendunt omnium Philosophorum conatus in variis Philosophiæ partibus, nisi eo, ut Rerum naturas aperiant differentias & convenientias scrutando; sicque, Methodo & ordine inter se collocando & disponendo? Quod postquam præstitum fuerit in particularibus Scientiis & Artibus, tunc officium est Logici, has sparsas Philosophiæ partes in inferioribus facultatibus ab aliis tractatas colligere, easque legitima subordinatione in unum Systema componere; quod recte appelluri potest *Prædicamentum*, seu *Rerum* omnium *series* ordinata. Non mirum est igitur hos Autores in tam fædos errores fuisse lapsos, dum Seriem prædicamentalem revera inutilem, nobis obtrudere velint. Quis Philosophus a risu continebit, cum audiverit duo esse Summa genere Rerum, *Corpus* scil. & *Non-corpus*. Dicerem hos homines *Manichæos*, nisi se *Saduceos* aperte profiterentur. Solent hi Terminis Artis, & vocibus ad res significandas a sensu & corporeo contactu remotas impositis, ut absurdis & insignificantibus irridere; cum tamen nulla detur vox magis absurda & insignificans, quam *non-corpus* quæ illis summum Genus constituit. Rogarem hos, quid illis significat hæc vox *Deus*? Certe, nisi sibi aperte contradicant, est vox *absurda* & *insignificans*; nullo enim corporeo contactu ipsis fatentibus, ad naturam Divinam perveniri potest.

Quandoquidem probabile admodum sit, Libellum hunc ad multorum hominum doctorum manus perventurum; ideo placuit hic paucis inserere Rationes, propter quas secluſa fide ex Dei Revelatione, his duabus Maximis (& quidem mihi aliarum omnium primis) veritatibus ipſe aſſentiam. 1. Eſſe *Deum*. 2. *Animam* Humanam eſſe *Immortalem*. Hoc qe eo libentius facio, quod videam maximam audaciam Mortalitatis aſſertorum, hoc fermento plurimos corrupiſſe; & quosdam Autores Magni Nominis, hoc Argumentum leviter admodum tractaſſe.

Primo, Præter naturæ vocem in omnibus hominibus, Numen ſuſpicientem & invocantem; ulterius ſic colligo eſſe Deum. Eſſe Cauſam primam eſt prima veritas; ergo eſt prima veritas eſſe Deum: *Cauſa* enim *prima* & *Deus* mihi idem ſignificant. verum

Secundo, *Animam* Humanam eſſe *Immortalem*, quod magis dubitatur & apertius contradicitur a multis (licet revera qi hoc negant per neceſſariam conſequentiam *Dei* exiſtentiam etiam negant) ſic licet colligere. Nulla potentia *Materialis* & *Mortalis* elevari poteſt ad Deum *Immaterialem* & *Immortalem* apprehendendum & contemplandum; ſed anima humana elevatur ad *Deum* apprehendendu'n & contemplandum, ideoqe etiam appetendum & ut ſuo ſummo bono fruendum; ergo non eſt *Materialis* & *Mortalis*; ſed germen & propago Divinæ Naturæ: cui optime conſentiunt

tiunt S. Script. phrases, *Animam* appellando *Dei Imaginem*, *Candelam Domini*, & *Deum* Patrem *Spiritum*. Minor hujus Argumenti patet, nec ab adversariis negatur: Ratio Majoris est, quod inter omnem Actum & Objectum intercedere debet naturæ proportio; quod etiam principiis *immortalitatis* adversariorum est consentaneum, dum docent Mentem corpoream res incorporeas apprehendere non posse.

Renatus Des Cartes vir in multis ingeniosissimus, videtur mihi hoc Argumentum tractans, fundamentum jecisse in arenis: magno enim apparatu verborum, & singularem Methodum affectans, ad hanc veritatem demonstrandam procedit; cujus tamen Argumenta mihi potius dulces phantasiæ vel Meditationes (ut ipse loqitur) quam rigidæ Demonstrationes videntur. Primum & maximum ejus Argumentum ad hanc veritatem evincendam, tale est. Possum ego supponere, nihil existere extra me, vel Deum, vel Cœlum, vel Terram; vel me habere manus, pedes, oculos, &c. & tamen omnibus his remotis, manet verum *ego Cogito* ergo etiam hoc, *ego Sum*.

Miror neminem hujus suppositionis fallaciam detexisse: est enim non minus implicatoria quam hæc. Suppono nihil corporeum existere extra me, tamen verum manet, ego video, ego audio: omnis enim *Actus*, tam *Spiritualis* quam *corporeus* necessario supponit *objectum*. Et qi per suppositionem

tollit *objectum*, necessario tollit & ipsum *actum*: qi enim cogitat, de aliqo cogitet necesse est; non minus qam qi videt audit, necesse est *objectum* aliqod his facultatibus proportionarum habeat.

Si quis ad hanc suppositionem fulciendam diceret: posse *Animam*, habere pro cogitationis *objecto*, *seipsam*. Ad hoc Resp. 1. verissimum est, *animam* posse super suos actus directos reflectere; hoc est scire se scire: & hoc secundum est meum principale Argumentum pro *Anima Immortalitate*, sic enim arguo.

Sicut primo, illa *Natura*, qæ ad Deum contemplandum, appetendum & fruendum elevatur, necesse est *Immaterialis* & *Immortalis* sit: Sic secundo, illa *Natura* quæ super suos Actus reflectere potest, & se contemplare, necesse est hanc, Naturæ Divinæ participem esse; sed *Anima*, &c. Ratio Majoris est, qod sit perfectio soli Naturæ Divinæ competens, se contemplare, appetere & frui: Illa enim Natura qæ potest super se reflectere, se appetere & frui, nulla alia re existente, est *Deus*. Qare cum *Anima* possit super se reflectere, (licet non in supra dicta suppositione, sic enim esset revera Deus) certum est hanc potentiam esse partem *Imaginis Divinæ*.

Sed secundo, qid hoc ad dictam suppositionem fulciendam, qod *Anima* possit de se cogitare? Omnis enim *Actus Reflexus* (in Creatura) supponit

actum

actum directum super quem reflectit: omnis *actus directus* dicit essentialem respectū ad *objectum extrinsecus* existens. Qi igitur per suppositionem tollit omnia *objecta extrinseca*, is etiam *actum directum* omnem tollit; qi *actum directum* tollit, is etiam *actum reflexum*, cum *actus directus* sit *actus reflexi objectum*. *Actus* autem *Reflexus purus* sine omni suppositione prioris *Actus directi* est solius Dei. Qare supponere *Animam*, nulla alia re existente, de se cogitare posse, est supponere impossibile; vel *Animam* esse *Deum*, quod est adhuc magis impossibile.

Tertio, Neqe verba ipsa Autoris patiuntur hunc sensum; explicans enim se qid intelligat per vocem cogitare, dicit esse, hoc velle, illud nolle, de alio dubitare, &c. qi actus aperte referuntur ad *objecta externa*, qæ modo per suppositionem sustulerat.

Si dicat qis, qomodo dici possunt, illa principia prima notissima & verissima, de existentia Dei & Animæ Immortalitate, cum ex homines docti habeant pro falsissimis? Resp. Hos homines loqi vel ex pravo affectu vel esse Mente captos. Sed qis ita mente captus, ut notissima & prima principia neget? Imo, vidi aliqando homines morbo corporeo laborantes, dum alios loquentes audiebant, & intuebantur, tamen negasse se vel videre, vel audire: & qanto clarius proponebatur iis objectum, tanto magis negabant se sentire. Sic contigit

insanientem Atheum, dum conceptus clarissimos de Deo format, tunc strenuissime hoc idem negare. Sed hi homines multum sapientiæ in aliis rebus manifestant? Sic contigit aliqando quosdam homines absurde & ridicule de una aliqa re sentire, in aliis tamen satis sapere.

Sed ne diutius a proposito digrediar, summam dictorum in hanc brevem circularem ratiocinunculam colligo; qæ mihi principia prima & notissima continet (cum scil, non sensum sed rectæ rationis ductum seqor) qæqe ad omnia Atheorum Sophismata diluenda sufficiunt. *Aut ego sum Immortalis, aut Deus non est: Aut Deus est, aut ego nihil sum*, jamqe ad *prædicamentum* redeo.

Et interrogo illos qi *prædicamenti* nullum usum vident, qid significent hæ voces *genus, species, differentia, definitio*, &c? Certe, sine prædicamenti suppositione sunt omnino absurdæ & nihil significantes: omnis enim *demonstratio* supponit *definitionem, definitio genus* & *speciem, genus* & *species* ordinatam *seriem Predicamentalem*. Et qidem si proprie loqi velimus, nulla est *definitio* vel *demonstratio* (licet Autorum scripta his vocibus abundent) qia nulla est constituta *series predicamentalis*: hinc est, qod qæ habetur *definitio* ab uno non merebitur *descriptionis* nomen (ut vulgo distinguunt) ab alio; sic qod huic est *demonstratio* illi est *Sophisma*.

Jecit Aristoteles qædam rudia fundamenta

predica-

prædicamenti, & nos nihil vel parum superstruximus; Posuit ille pro suo arbitrio decem Summa Genera Rerum; quædam notiones quæ sub his comprehendi nequibant, *Transcendentes* & *Extravagantes* appellando; ex qibus duo alia *prædicamenta* eadem ratione & Autoritate constituere potuisset. Ratio quod hæc rerum ordinatio displiceat, est primo, quod non satis accurate distinguat *Rerum notiones*; cum eadem *notio* sæpissime diversis respectibus, ad diversa *prædicamenta* referri potest, *Qualitatis*, *Actionis*, *Relationis*, &c. Secundo, quod in recta ordinata *serie Rerum*, nullæ sunt notiones *Transcendentes* admittendæ, nisi *genera* respectu *specierum* & *individuorum*, *Transcendentia* qis dicere velit. Qi enim notiones *Transcendentes* ullo alio sensu admittunt, contradicunt *prædicamenti definitioni* ab ipsis traditæ, ni. quod sit *Series Rerum sub uno summo genere contentarum*. Est igitur secundum hanc definitionem, sola notio *Entis* Transcendens.

Qid igitur fiet de his *unum*, *verum*, *bonum*? Omnino *Enti* subjugandæ sunt, sunt enim revera *Accidentia*: *unitas* est Denominatio extrinseca, Rebus adveniens per Intellectus operationem, non minus quam *dualitas*, *trinitas*, &c. nihil enim est quod constituat Petrum *unum* hominem ante operationem intellectus, quod non eadem ratione, constituat Petrum & Paulum *duos* homines. Formalis etiam ratio *Veritatis*, consistit in *relatione* inter *actum* Mentis & *objectum*. Sic denominatio

Bonitatis

Bonitatis dicit essentialem respectum ad *appetitum*, seu *voluntatem* aliquam: Imo Deus ipse *O.M.* ideo denominatur *optimus*, quod sit summe *appetibilis*: Licet enim omnis *voluntas* creata cessaret esse, vel *appetere* Deum; nihilominus maneret semper summe *appetibilis* & actu *appetitus* ab *appetitu perfectissimo* hoc est suo; ideoque summe *bonus*. Voces autem *Rei* & *aliquid* sunt omnino Synonymæ cum voce *Entis*.

Verum ad has notiones uberius explicandas; & in summa, ad terminos Metaphysicos, Logicos, & Grammaticos, (quæ ut dixi eandem constituunt Artem) multa verborum caligine obscuratos, & intricatos, discutiendos; Tractatum specialem postularet: Nam propter defectum accuratæ Doctrinæ Logicæ, plurimæ reperiuntur absurdæ locutiones passim in scriptis Philosophorum & Theologorum; sæpius necessitate impositæ, etiam viris doctis, loquendi cum vulgo, ut a vulgo intelligantur. Et quidem hæc Magna Philosophiæ *Reformatio* consistit, in *Seriei prædicamentalis* legitima ordinatione; quæ fons est omnium *definitionum*, *divisionum*, *demonstrationum*, aliorumque Logicorum *Argumentorum*, & *terminorum*: ad quod *Nobile Susceptum* ut alios provocem; & ut quibusdam objectionibus contra sequentem Rerum Seriem in Lexico hujus Artis exhibitam, occurratur; mentem meam de *Prædicamenti Natura* quibusdam generalibus conclusionibus aperiam.

Primo,

Primo, Male repræsentatur a Philosophis prædicamenti natura, *Arboris* similitudine; cum nihil sit quod clarius illustret hanc Rerum & Notionum Seriem, quam *Genealogia* Generis Humani: Sicut enim *fide* credimus, omnes homines ab uno primo Parente descendisse; sic *ratione* probamus, omnes particulares Notiones, ab una prima *notione Entis* derivari. Hinc est quod recte vocari soleant Mentis humanæ apprehensiones, seu perceptiones; *Rerum Conceptus*: *Res* enim ipsæ sunt quasi *Pater*, gignens in mentibus nostris suam *Imaginem*; *Intellectus* vero est *Mater*, has imagines concipiens; & *Memoria* est *uterus*, in qo Rerum Imagines sic genitæ gestantur. Et qemadmodum videmus numerum *hominum*, ex successiva & continuata generatione multiplicari; sic etiam *notionum* numerus ex *Mente* humana, *corpore* non minus fecunda, indies augetur. Et sicut is solus dicendus esset perfectus *Historicus*, qi omnia Adami gesta, & continuatam Seriem totius ejus posteritatis, omnesqe eorum Actiones recitare poterit; sic ille solus dicendus esset perfectus *Philosophus*, qi totum numerum Rerum & Notionum, non minus numerosum qam est Adami Posteritas, descendendo & vicissim ascendendo recitare poterit, omnesqe mutuos respectus horum inter se computare. Hinc apparet, qantillum sit qod nos Homines scimus; *Qam qintum* vero qod nescimus.

Secundo,

Secundo, si ex una parte Rerum numerum pene infinitum, multiplicesque & varios ipsarum respectus mutuos; ex altera parte imbecillitatem Intellectus humani respiciamus; expectandam non est, talem *seriem Rerum* Arte humana construi posse, qæ omnibus numeris, & ita absolute sit perfecta, & quoad *numerum*, & quoad *methodum*; ut, nihil vel *addi*, vel *demi*, vel *transmutari* possit: respectus enim Rerum ita multipliciter varii sunt, ut earum Methodus secundum varias suppositiones & varios respectus, multipliciter variabilis sit. Nominetur enim qælibet Philosophiæ pars, & ad hanc tractandam adhibeantur separatim mille viri doctissimi; inveniretur duos horum in omnibus inter se non consentire: quod non est soli *humanæ imbecillitati* imputandum (quod bene advertendum est) sed partim etiam, *Rerum* ipsarum *naturæ varietati*, & *respectui multiplici*. Nihilominus licet talis perfectio expectanda non sit, maximi tamen esset usus in Philosophia, habere unam aliqam plenam *Seriem Rerum*, suffragiis multorum hominum doctorum comprobatam, omnes principales & notas notiones *Naturæ* & *Artis* legitima subordinatione prædicamentali per modum *Generis* & *Speciei* complectentem.

Tertio, Duplex est suppositio, secundum qam hæc *series Rerum* constitui potest, & exinde Rerum *Definitiones* deduci: Vel primo, investigando per Analysin Logicam, certum numerum *primarum* & *simpli-*

simplicissimarum Notionum, ex qibus omnes aliæ complexæ componuntur; & qidem hic Analyticus modus, in penitiorem Rerum cognitionem ducit. Novi sententian esse ingeniosissimorum hominum, numerum *Notionum simplicium* per strictam Analysim Logicam, pauciorem esse numero sonorum articulatorum simplicium per strictam Analysin Grammaticam. Vel secundo, constitui potest hæc *series* reducendo omnes Notiones *Naturæ* & *Artis* tam *Complexas*, qam *Simplices* ad lineam rectam prædicamentalem. Utriusqe hujus Notionum texturæ, magnus esset usus in Philosophia.

Qarto, In serie secundum hanc secundam suppositionem stabilita, maxime naturale esset, eandem methodum observare in *substantiis*, & accidentibus ordinandis; cujus Methodi adumbrationem videre licet in *Tabulis* meis.

Qinto, *Divisio* Generum in hac Serie, procul omni dubio, optima & maxime naturalis, esset *Dichotomica*; qæ omnium Distributionum est *optima*, qia *prima*; est enim primus discessus ab *unitate*. Nec verum est illud qod vulgo objicitur contra Dichotomiam, qod magis confundat *memoriam*; modo enim oppositio quæ est fundamentum hujus divisionis exhibeatur clara, nihil est qod magis adjuvet *memoriam*. Qotiescunqe igitur *Memoria* confunditur ex *Doctrina Dichotomica*, revera non tam *Memoria* qam *Intellectus* confunditur; qi

nondum

nondum satis clare percepit divisionis Rationem & Fundamentum.

Sexto, Distributio omnis Prædicamentalis perfecta, est facienda per differentias & Species *positivas*; secus enim nulla est legitima Divisio facta: nullæ enim sunt species rerum *non existentium*, & Differentiæ *negativæ*, nequeunt species *positivas* constituere: Philosophi & viri docti verborum fallacia hac in re valde decipiuntur; cum enim voces Linguarum vulgarium, non sint Philosophicæ institutæ; & propterea cum nobis desint voces ad exprimendas multarum Rerum Differentias Categoricas; hinc est quod cogamur fingere voces *Negativas*, ex vocibus *positivis* diversæ vel oppositæ significationis, ad Notiones non minus *positivas* significandas, quam sunt istæ quæ vocibus *positivis* notantur: & sic propter defectum vocabulorum, Differentias *positive* contrarias, vocibus *negativis* exprimimus. Res hæc, licet a paucis observata, est tamen apertissima; ut patet in his exemplis, *æquale*, *inæquale*, *par*, *impar*: notio enim *inæqualitatis*, non minus est positiva quam *æqualitatis*; dicit enim unam quantitatem esse alia *majorem*; & quid magis positivum? Idem dicendum de *par* & *impar*; quæ Anglice, vocibus *positivis* redduntur, *even*, *odde*.

Septimo, Male omnino, & sine ulla ratione, arcent Philosophi *Artefacta* a Serie prædicamentali: *Artefacta* enim non minus sunt objectum

nostræ

noſtræ cognitionis, quam *Naturalia*; & non minus capacia ſunt *ordinis*, & *methodi*, quam illa.

Octavo, Notandum in tali *Serie*, quamplurimæ darentur voces *generica*; quales ſunt hæ, *Accidens*, *Qualitas*, *Quantitas*, *Relatio*, *planta*, *brutum*, *avis*, &c. Qæ communiores Rerum reſpectus & convenientias notant. Suppoſito enim quod numerus *ſpecierum infimarum*, eſſet 4000. vel 10000; totidem eſſet numerus notionum *Genericarum*: qia ſol. jam ſuppoſuimus, omnem Generum diviſionem eſſe dichotomice factam; & notiones Genericæ & communiores, unica voce expreſſæ, eſſent valde Emphaticæ, & ad docendum aptæ. Sic, daretur una notio communis *Generica*, ad omnes *Species* differentiis contrariis & poſitivis diſtinctas: Sicut enim *ſexus* eſt notio communis ad *marem*, & *fœminam*; ſic *calidum* & *frigidum*, *humidum* & *ſiccum*, *durum* & *molle*, &c. unicam notionem communem *genericam*, in qa convenirent, haberent. Specimen hujus Methodi, videre licet apud Petrum Ramum; qi ſolus (quantum vidi) diſtributionem *Dichotomicam*, ſecundum ſtrictas leges *prædicamentales*, in ſuis ſcriptis Philoſophicis accurate obſervavit; licet illi defuerint *voces ſimplices* ad notiones *Genericas* diſtincte & compendioſe ſine periphraſi exprimendas.

CAP.

CAP. IV.

Corollaria quædam Grammaticalia ex dictis de Prædicamento.

EX iis qæ jam dixi de *prædicamento* in Genere, quod fundamentum est, & Materia *in qua* Grammaticæ; Corollaria qædam Grammaticalia deducam.

Primo, Constitutio illa Prædicamenti, qæ Notiones *primas* & *simplicissimas* (quarum numerum non superare decem opinio est quorundam) primo loco disponit; deinde compositas ex his paucis simplicibus, pro ratione varia, qa ex his componuntur, et multiplici respectu quem ad se invicem dicunt, Fundamentum non est idoneum Artis Grammaticæ; idqe propter duplicem rationem, unam a *Rebus* ipsis, alteram a *Signis petitam*.

Primo, qi Analisin accuratam omnium Notionum *Naturæ* & *Artis*, maxime *complexarum*, in prima sua Elementa, omnesqe respectus mutuos *simplicimos* in hoc Composito, curiose persequeretur; toties necessario ab illo assumerentur, & reassumerentur hæc *simplicia*, ad varios respectus *Compositi* significando; illudqe ab omnibus aliis rebus

rebus perfecte discriminandum ; ut perfecta jam Analysi, Notio hæc sua, præ oculis poneretur, sæpissime, in tot *Partes* distributa a Philosopho curioso ; quot corpus humanum, post dissectionem, a perito Anatomico. Et quidem non minus difficile esset, ex tot partibus per hanc Analysin jam separatim positis, colligere unam compleam & integram formam hujus Compositi, ita clare ut ab omnibus aliis Compositis ex iisdem simplicibus distinguatur ; quam ex dissecto cadavere in minutissimas partes, discernere cujus sit an Petri, Jacobi, vel Thomæ, *&c.* Non nego (ut supra docui) hujusmodi Analyses in penitiorem & interiorem rerum cognitionem ducere : Imo dico hanc esse summam Philosophiæ perfectionem, posse quamliber propositam Notionem, in sua prima principia resolvere ; qi modus philosophandi utilissimus nimis negligitur : Apparet tamen ex dictis, hanc Analysin parum conducere, ad hanc Notionem sub forma unius Compositi, statim unico Mentis actu, sine longo discursu apprehendendum.

Secundo, Si signa respiciamus, idem manifestum erit ; hoc principium omnino ineptum esse ; ut secundum illud Nomina Rebus imponantur. Supponamus enim Notionem aliqam, per dictam Analysin distribui in centum, forte mille particulas, ad omnes minutas Differentias hujus Rei, qibus ab omnibus aliis distinguitur notandas : oporteret, ut ad minimũ, singulæ particulæ seu Differentiæ unã

 literam,

literam, ad illas distincte significandum haberent; his igitur literis in unam vocem collectis, Rerum Nomina in eam longitudinem excrescerent, ut vox una integram paginam impleret. Summe quidem cum illis contentio, qi majori acumine Philosophiæ partem Analyticam contemplant, quam Philosophorum vulgus; quanto pauciora fuerint Signa Primitiva, ex qibus Rerum Complexarum Nomina, non ex mero Arbitrio, sed Logice & secundum Rei Naturam componentur, tanto perfectior erit Ars: Frustra enim fit per plura, qod æque, vel magis commode fieri potest per pauciora. Verum in tanta paucitate Primitivarum, ex nimia brevitate, nimia obscuritas oriretur: experientia etiam comprobaret, plus Arbitrii necessario forte, in hujusmodi Compositis quam ipsis simplicibus.

Secundo, Nec illa constitutio Seriei Prædicamentalis, in qa omnes distinctæ Notiones Naturæ & Artis, tam complexæ quam simplices, per ordinatam seriem Generum & Specierum in linea Prædicamentali collocarentur, adeoqe distinctis Nominibus Primitivis notandæ; esset structuræ hujus Linguæ principium accomodatum. Ratio est, qod numerus vocum Primitivarum esset pene infinitus; Bauhinus numerat 6000 species plantarum; Brutorum ingens est numerus; vocabularium Artis & Rerum Artefactarum, a nemine adhuc ad methodum Artis reductarum, multo

major esset. Imo, ut docent Philosophi, continuum quodlibet minimum dividi posse in infinitum; sic non minus vere, quodlibet Genus vel species, dividi potest per infinitas differentias: sic *numeri, colores, soni, passiones animi*, &c. Natura autem ipsa in omni homine docet Rerum Naturas, sub communi & universali respectu considerare; & ex paucis quibusdam Communibus Rerum rationibus, particulares Rerum naturas describere: quamobrem, omnino æquum est, ut Ars (quæ nihil est aliud nisi Natura Exculta) rationes Rerum maxime communes doceat; ex quibus particularium Rerum Naturæ describi possunt.

Quare Tertio, neutrum horum extremorum sequendum judicavi; sed viam mediam ineundam (quæ in Rebus multis maxime probatur) hoc est, selectum numerum, principaliorum Notionum, ex primis & præcipuis Scientiis esse delegendum; earum scil. quæ respectus Rerum Communiores dicunt; & has pro primis supponere, iisque significandis voces Radicales imponere; ex quibus aliarum Rerum complexarum Nomina conficerentur.

Quot autem præcise numero sint hæ Notiones; & secundo, quænam nominatim tales sint habendæ; & tertio quo ordine inter se collocandæ; in his quæstionibus resolvendis, verissime dici potest, quot capita tot sententiæ. Censeo tamen omnes viros vere doctos mecum in hoc consensuros; nullam

harum quæstionum determinari posse, sine mul
Arbitrii. Ingenii vero mei Mensura circa eas, h
beri potest ex Tabulis seu Lexico hujus operis : qu
non offero ut Seriem Rerum summe perfectam
vel quoad Numerum, vel Methodum Notionu
inibi contentarum ; sed multum Arbitrii habe
admixtum agnosco : hactenus enim docui, hu
Artem Signorum strictas Leges Philosophiæ n
pati.

CAP. V.

Explicatio Tabularum.

QUandoquidem jam ad solos doctos scribo, qib
pauca verba sufficient ; non morabor longa
disputationem instituere, de singularum Notio
num natura & Methodo ; sed paucis tantumm
do seriem hanc Rerum adumbrabo, rationem d
sensus mei a vulgari opinione in quibusdam bre
ter invendo, quæ obvia sunt prætereundo.

Cum Philosophis omnibus sanioribus Confe
tio, dari unum Summum Genus, & primum
communissimum conceptum, quem solemus appe
lare *Ens* seu *Res*. Verum in primis Differenti
Ens dividentibus, sententia mea ab illorum di
sen

fert: Tam cito ſcil, oriuntur opinionum differentiæ, inter nos homines, quam in ipſis rebus inveniuntur. Docent illi *ſubſtare* & *accidere* primo dividere *Ens*: Mihi vero videtur, Seriem perfecte prædicamentalem conſtitui non poſſe, ſecundum quam legitimæ prædicationes fieri poſſunt, niſi Differentias concipiamus magis latepatentes, quæ adæquate dividant *Ens*, ſub conceptu & reſpectu communiſſimo: has ego vocavi, *abſtractum* eſſe & *concretum* eſſe; vel *ſimplex* & *compoſitum*; vel ſtatum rei *incompletum* & *completum*; Ens vero incompletum ſecunda diviſione, in *Subſtantiam* & *Accidens* dividendo: niſi quis mallet uti diviſione *trichotomica*, ſic; *Ens* eſt *ſubſtantia*, *accidens*, & *Compoſitum*; quæ forte in hoc caſu, & quibuſdam aliis, non minus eſt perfecta quam dichotomia. Ratio diſſenſus eſt, quod omnis prædicatio Generis, ſive immediati, ſive mediati de inferiore ſpecie; ſicut excludit a ſuo conceptu, differentiam Generis oppoſiti; ſic etiam a conceptu ſpeciei de qua prædicatur eandem excludit: quare bene arguitur *lapis eſt corpus*; ergo omnem conceptum *ſpiritus* excludit: *Lapis eſt inanimatum*; ergo, omnem conceptum *animati* excludit: at vero, hoc falſum erit; *Lapis eſt ſubſtantia*; ergo, omnem conceptum *Accidentis* excludit; eſt enim conceptus *accidentis* non minus eſſentialis lapidi, quam *ſubſtantiæ*; ſaltem ſecundum opinionem hodie communiorem negantem Formas Subſtantiales Materiales.

Cum igitur lapis neqeat dici proprie, vel *Substantia*, vel *accidens*; consentaneum videtur, ut alia ratio Generica stabiliatur in serie prædicamentali, qæ de his Notionibus proprie prædicari possit. Eodem, redit eorum sententia, qi substantiam dividunt, in *incompletam* & *completam*; sed minus proprie meo judicio loquuntur, secundum strictas leges prædicamentales.

De divisione notionis *Concreti* (qa voce ego utar in sequentibus pro *subsistantia*) videtur eodem modo philosophandum quo de *Ente*; vel dichotomice, hic; in *imperfectius* & *perfectius*: Imperfectius continet Concreta vulgo Substantias *Corporeas*, & *Spiritus* a corpore separatos: perfectius, Hominem; id est, concretum compositum ex his incompletis; propter qam rationem & alias hic non nominandas, videtur mihi revera Hominem esse omnium creaturarum perfectissimum. Vel secundo, trichotomice sic, in *Corporeum*, *spirituale*, & *Compositum*. Hic Notandum ulterius de Notione *Hominis*, qod male collocetur in linea prædicamentali sub Genere mediato *animal*, & consequenter sub Genere Substantiæ *corporea*; si enim hæc sit vera prædicatio, *homo est substantia corporea*; sequetur a conceptu *hominis* removendum, omnem conceptum *spiritus*.

Concreta Materialia divido in *Mathematica*, *Physica* & *Artefacta*. Miratus sum se nper has notiones Mathematicas, qas ego hic pro *Concretis* posui,

posui, a philosophis haberi *accidentia*: Qis enim non clare percipit has voces, *punctum*, *linea*, *superficies*, &c. esse *Concreta*; cum signficent *subjectum* & *formam*. Qare hæc propositio *linea est longitudo*, est vel identica, vel falsa.

Notandum de his Notionibus, qod Nomina Rerum corporearum *Qantitatem* vel *figuram* essentialiter dicentium, hinc desumenda esse: sic, *scintilla*, *arena*, *pulvis*, *gutta*; mamnum, mamnuf, mamnom, mamnim, *&c.* id est, punctum ignis, lapidis, *&c.* Sic linea ignis, ligni, vel cujusvis materiæ, ubi longitudo præcipue innuitur: sic folium Chartæ, lamina, bractea, ad superficiem referuntur.

In concretis *Physicis* Methodum receptam sequtus sum: Corpora omnia simplicia sub uno genere comprehendi; nec judicabam necessarium addere istam vocem Genericam *Elementi*, cum satis exprimi possit hæc Notio *neim grupomp*. Partes Cœli posui solummodo tres; nec judicabam necessarium pro constellationibus omnibus (qæ Artis vocabula sunt) ponere voces Radicales; notio enim Constellationis satis commode exprimitur, *asind stellarum aggregatum*. Nomina vero particularium Constellationum, imponi debent ex his, per descriptionem a forma, numero, situatione, aut alio accidente maxime distinguente: e, g, *asind vai*, *pleiades*, &c. qod faciendum Astronomis commendo; sicut & in aliis Artibus, terminorum

Artis Nomina, ab Artium peritis imponenda relinqo. Vix enim expectandum est ab uno aliqo homine, ut sit par huic susceptо, imponendi apta Nomina terminis Artium omnium; qod faciendum est, per descriptiones ex primitivis desumptas; idqe qantum cum claritate fieri potest, in una voce, per derivationem, vel compositionem: ubi vero natura rerum hoc non patitur, per periphrasin plurium vocum.

An detur elementum ignis non disputo, sed vulgarem opinionem hac in re seqor; ut etiam sintne istæ partes qas ego posui, stricte loqendo sic dicendæ, & inter se distinctæ. Novi satis si detur elementum ignis, ibi nec *fumum*, nec *fuliginem*, nec *cineres* esse: Attamen nemo est qi non videt, has notiones dicere essentialem respectum ad ignem hic apud nos. Sic nolo asserere has partes esse stricte loqendo distinctas; novi enim *fumum*, & *fuliginem* differre tantum ut eadem res *rarefacta* & *densifacta*; vel si qis non ferat me sic loqi; *fumus* nihil est aliud nisi *punctula* (sic enim magis Philosophice dicuntur qam *Atoma*) materiæ combustibilis, per intensum calorem resoluta & dissipata; *fuligo* vero, est collectio horum sparsorum punctulorum in locum minorem. Sed rationem reddidi superius, cur omnes Notiones vere *compositas* non hic pro talibus habeam; & si de methodo & loco prædicamentali cujusqe particularis Notionis curiose disputaremus, disputaremus

in

in æternum; quare iterum dico hic multum Arbitrii necessario esse admittendum: Omnibus igitur consideratis, non vereor asserere, recte & accommodate satis ad propositum meum, has notiones positas esse ut *partes* ignis; quod etiam intelligendum volo in aliis partibus harum Tabularum, ad quarum particularem explicationem memor polliciti jam non descendam; sed explicationem *Concretorum Physicorum* his paucis Notandis absolvam.

Primo, In re *Herbaria* secutus sum Senertum, in *Arboribus* Spigelium, in *brutis* Jonstonum, Secundo, Non omnes differentias & Convenientias concretorum physicorum, quæ apud hos Autores inveniuntur, sed præcipuas tantum selegi: Quam inconveniens fuisset hos Autores in omnibus sequi, nemo doctus non videbit; cui scripta horum Autorum nota sunt, & qui naturam suscepti mei satis apprehendit. Tertio, Una & eadem res per variam compositionem potest multis appellari Nominibus; sic *Elephas*, *Nukbeisap*, vel *Nuksofprek*. Quarto, Quædam species vix possunt unica voce satis significanter exprimi, quo casu addendæ sunt plures voces; quod etiam videri licet in omnibus linguis, præcipue in numerosa *plantarum* familia. Quinto, Licet aliquando contingat, quosdam Rerum Species infimas, non posse satis significanter Nomina habere a notione Generica; & superaddita Differentia, una, vel plu-

ribus

ribus ex aliis radicibus, sine longa periphrasi; tamen magis est philosophicum, & meo instituto congruum (cum hi casus omnino rari sint, rarissimi vero (quod præcipue attendendum est) in Notionibus communioribus & vulgaris usus) vel longa periphrasi uti, vel etiam differentiam mere fictam superaddere Notioni Genericæ, quod plus memoriæ opitulabitur, quam si omnes infimæ species fierent primitivæ, & ordine numerico disponerentur; nihil enim magis onerat memoriam, quam ordo numericus. Quinto, Si cui forte magis placeret definitiones Specierum *Naturæ*, & *Artis*, conficere ex Genere, & Loco numerico pro differentia posito; quam per differentiam petitam ex aliis radicalibus, & Generi superadditam; potest hoc fieri sine minima variatione harum Tabularum, ni, addendo literas terminales voci genericæ ordinis numerici significativas. *e.g.*

Nuka	pro	1. Elephas.
Nuku		2. Equs.
Nuke		3. Asinus.
Nuko		4. Mulus.

Sexto, Nil refert, quod quædam Genera aliquando coincidant, in quibusdam eorum speciebus; necessarium enim duxi convenientias Rerum maxime communes seligere, licet aliquando coinciderent in aliquibus.

Concreta

Concreta Artefacta quod attinet, nemo Philosophus (quod sciam) ante me tentavit reducere ad prædicamentum; multo minus ferunt Philosophi, ea *Substantias* (hoc est entia concreta) vocari. Cum Notiones *Artis* non minus numerosæ sint quam Notiones *Naturæ*; ideo decrevi, non prosequi minutiores Differentias; sed quasdam Notiones Genericas disponere, ex quibus Nomina Inferiorum Specierum, vel per derivationem, compositionem, vel periphrasin exprimi possint. Via admodum intricata sunt in ordinandis Generibus Notionibus Artefactorum: Nihil tamen dubito, quin Notiones Genericæ quas hic ponam, satis sint claræ, & obviæ, & inter se distinctæ; ut etiam comprehensivæ sub se omnium Notionum Artefactarum. In his explicandis non morabor, sed duabus factis observationibus ad alia transibo.

Sicut in Concretis Physicis Nomina infimarum Specierum fiunt per compositionem ex Notionibus Radicalibus; sic etiam, hoc idem fit in Artefactis cum eadem prorsus sit ratio utrobique. Quare sicut Nomina *elephantis, equi, muli, asini*, fiunt ex hoc genere Radicali *mnk*, & differentiis ex aliis Radicalibus ascitis; sic *mnkbeisap, mnkpot, mnksofpad, mnkpim*; sic, eodem modo; *poculum, cochlear, matula*, &c. fiunt ex Generica notione *fren*, & differentiis superadditis. *Frenpraf, frenneis, frenrem*, &c. Sic, *Palæstra, carcer, Templum, officina, tugurium, cubiculum*; *fankan, fancog, fanskas*, vel *fanfava*,

fansava, vel *fanskaf*, *fanspud*, *fanstref*, *fanfrim*; sic, *pileus*, *chirotheca*, *thorax*, *calceus*, *bracca*, *caliga*; *freimmeis*, *freimsmus*, *freimfeis*, *freimsmur*, *freimsmur*, *freimsmer*, &c. uno verbo. Nulla est Notio Radicalis in Tabulis Primitivorum Concretorum, sive Mathem. sive Physic. sive Artef. ex qa, tanqam Genere, & aliis aliunde ascitis differentiis, non fiant qamplurimæ inferiores Species. Et qidem modi hujus imponendi Nomina Rebus, vestigia qædam inveniuntur in omnibus Linguis; necessitate & Natura ipsa hoc dictante, ne fiat progressus in infinitum. Sed *Natura* hac in Re, hic *Arte* magis excolenda est.

Secundo, Tenendum in Rerum Nominibus componendis, non esse necessarium ut differentia Generi superaddita sit tota rei Forma, qam docent philosophi esse unum aliquid simplex, occultum (ipsi nesciunt qid) latitans invisibiliter (& etiam inintelligibiliter) in Rebus; ad qam inveniendam nullum acumen penetrare potest. Verum hoc est commentum absurdum; omnium enim Rerum qarumcunqe *formæ* sunt inadæqate cognitæ; nam qicqid cognoscimus de Re aliqa est pars ejus *formæ*: dico est *pars* Formæ; *Forma* enim nihil est aliud qam aggregatum omnium accidentium alicujus Rei. Sunt etiam formæ omnes inadæqate nobis incognitæ; nam multa sunt accidentia, qalitates, potentiæ, Respectus, &c. in Rebus (etiam iis qarum Naturæ sunt nobis

maxime

maxime notæ) qæ a nobis non intelliguntur. Satis igitur est, si differentia superaddita Generi, sit tale Accidens, qod distinguat Speciem ab omnibus aliis. Atqe hæc dicta sunt de *Concretis*; sequuntur *accidentia*.

Tenendum in Genere de Notionibus Accidentalibus; quod methodus harum maxime naturalis, sit eadem omnino quæ concretorum: ni. Primo, Accidentia Concretorum in genere. Secundo, Mathemat. Tertio, Physic. &c. ut patet ex comparatione Tabularum Concretorum, & Accidentium.

Primum igitur obtinent locum Notiones *Logicæ*, seu *Metaphysicæ*, qarum litera *S* est Characteristica: Has q probe intellexerit, & uti poterit, Logici Nomine vere dignus erit. Solent hæ Notiones a Philosophis *Transcendentes* vocari: modo intelligant, qod hæ Notiones sint Accidentia, qorum significatio communis est *spiritibus*, & *corporibus* absqe ulla Metaphora, ego hunc loquendi modum admittam, secus non.

Inter has primum locum do *causis Rerum*; ad qem licet plures reduxerim Notiones, qam vulgo solent alii, non tamen qam rerum Natura postulabat. Secundum locum dedi *modis existendi*; qæ Notio valde communis & frequens est; significat enim *statum*, seu *conditionem* rei. Tertium dedi *Modis agendi*; qæ Notio diversissima est a priori, quamvis Logici has confundant; nec qidem ullam

lam accuratam distinctionem faciunt, inter *Accidens, qualitas*, & *Modus*. Sed cum singula prosequi non vacet, de gradibus comparationis quos posui sexto loco, pauca notabo.

Notiones hæ sunt maximi & frequentissimi usus; est enim Actus Mentis *comparativus* longe excellentissimus in Rerum Scientia acquirenda: vix proferri potest sententia in qua Argumenta *Comparata* vel Causæ locum non habeant. Et tamen in nulla parte Logicæ magis exercuisse Logici, quam in Doctrina *Comparatorum*. Etiam ipse Petrus Ramus, me Judice, Logicorum Scriptorum acutissimus, hic in tenebris versatus est; nam inter Argumenta Comparata explicasse debuit, *magnum & parvum*, & *maximum & minimum*, non minus quam, *majora & minora*; licet enim hi gradus distinctionis causa, a Grammaticis dicantur *positivi & superlativi*; non tamen minus proprie sunt Comparativi, quam *majora & minora*. Deinde, non sunt hæ Comparationes, in sola *quantitate*, ut ille opinatur; sed hæ notæ comparationis, transcendunt & *quantitatem* & *qualitatem*, & utrique sunt æque applicabiles. Verum cum voces *majora & minora*, in usu vulgari appropriatæ sint solummodo Rebus *quantis*; ut veram naturam *comparatorum* intelligamus, necesse est abstrahamus a vulgaribus vocibus, ne vocum ambiguitate decipiamur; quare argumenta Comparata explico per voces Adverbiales; quibus secundum usum vulgarem,

&

& recte, utimur indifferenter, pro comparatis tam in *qualitate*, quam *quantitate*. Notæ comparationis principaliores sunt hæ; *magis*, *æque*, *minus*; ex quibus oriuntur, *valde*, *mediocriter*, *parum*; & *maxime*, *minime*; sic dicimus; *magis* longum, & *magis* album; *æque* longa, & *æque* alba. Verum cum has Notiones, Nominaliter & adjective exprimimus; utimur diversis vocibus, pro comparatione in *quantitate*, & *qualitate*; & dicimus, *magnus* ignis, *intensus* calor; *major* ignis, & *intensior* calor.

Dico, licet stricte loquendo, omnes gradus comparationis possunt reduci ad *magis*, *minus* & *æque*; tamen cæteri gradus, cum innuant diversitatem graduum, & modi comparandi res; ratio postulat, ei in distincta Argumenta Logica Comparata distingui: E contra vero, male docetur *æqualia*, *inæqualia*; *similia*, *dissimilia*; *paria*, *imparia*, esse distincta Argumenta Logica; cum in gradibus Comparationis, & Actu Comparativo, ne minima sit diversitas, sed in solis subjectis; ut patet ex resolutione harum propositionum; parietes sunt *similes*; id est, *æque* albi; hæ duæ lineæ sunt *æquales*; id est, *æque* longæ; hi numeri sunt *pares*; id est, *æque* multi, seu quanti; in qibus apparet idem omnino esse Logicum Argumentum.

De Accidentibus Mathematicis, qorum *B* est Characteristicum: Notetur 1. Præpositiones quæ cum verbis motus junguntur, hinc petendæ sunt;

qæ

quæ voculæ (sicut omnes aliæ particulæ) admodum sunt ambiguæ, & incertæ significationis in linguis. Hujusmodi sunt; *per, præter, trans, supra, infra, ad, ab, ex, in*, &c. quarum significatio hinc determinanda est. 2. Posui sex principales differentias *situs*, sub terminis relativis; quæ ad *Mundum* applicatæ, significant *Oriens, Occidens, Septentrio, Auster, Zenith, nadir*: ad *hominem* relatæ, vel *brutum*, vel *Artefactum*, significant *ante, post, dextra, sinistra, supra, infra*.

Sub Genere, *D* posui illas Notiones, quæ solent a Physicis, in parte Physicæ generali tractari; de qibus hic nihil singulare notabo, nisi qod numerum harum multum auxerim (propter majorem facilitatem Communicationis) supra qem invenerim in Philosophorum scriptis.

Sub *G*, complexus sum Notiones Physicas magis speciales; id est, *qalitates sensibiles*; qas distribui secundum ordinem sensuum, progrediendo ab imperfectioribus ad perfectiora. Deqe his notetur. 1. Desiderari in Linguis vernaculis, vocem Generioam ad significandum objectum *tactus*; cum tamen ratio postulet ut objectum *Tactus*, una voce significetur, non minus qam *color, sonus, odor, sapor*. 2. Tanta est affinitas sensuum, *gustus & olfactus*; ut vix censeam illos dicendos distinctos sensus: nec minori cum ratione (meo judicio) secundum opinionem Scaligeri, appetitus venereus, distingui potest a sensu tactus. 3. Cum

duplex

duplex sit objectum generale *visus*; ego posui *colorem* ut principale *objectum*, & *lucem* ut speciem sub eo; non ignoro tamen multos Philosophos asserere, *Colorem* esse potius speciem *lucis*.

De Genere *P* Not. 1. Quod hic non expresserim potentias sensitivas *externas* hic; qia satis commode formantur, ab organis sensus, qæ Radicalia sunt inter membra corporis. 2. Differentiæ Genericæ in Tabulis positæ stricte & proprie loqendo tales non sunt; nec tales (ausim asserere) possibile est invenire instituto meo applicabiles; qare docendi causa solum, passiones ita distinguuntur; in *principales*, *minus principales*, & *affines*, &c. 3. Me pleniorem Passionum enumerationem feciſſe, quam inveniri potest apud qemvis Philosophum qi materiam hanc tractavit; & tamen præcipuas tantum enumeravi: numerus enim passionum in variis hominibus est infinitus; nemo est qi non habeat in se qasdam passiones, qæ in nullo alio inveniuntur. 4. Omes *virtutes* hinc præcipue petendæ sunt; cum virtus nihil sit aliud, qam debita moderatio animi motuum; *vitium* vero, defectus vel excessus eorundem.

Atqe hic filum Explicationis rumpam; multa consulto tacens, partim qod sciam Homines doctos, & hujus operis dignos censores, ex paucis qæ hactenus dicta sunt, rationem Methodi in seqentibus satis apprehensuros; partim etiam propter alias causas.

CAP. VI.

De Institutione Verborum, seu Signorum Applicatione ad Tabulas.

QUi in praxi hujus Artis versari velit, diligenter attendat Regulas hoc capite traditas.

1. Ordo literarum, ut capite primo docetur, perfecte tenendus & præ oculis ponendus est.

2. Conatus eram omni studio, tot Summa Genera Rerum constituere, quot soni simplices sunt idque methodo correspondenti, inter *Signum & Signatum*: verum multa erant, quæ huic conatui obstabant: Quantum tamen potui, convenientiam Symbolicam, inter *Signum & Signatum*, etiam in prima signorum impositione observavi; ut consideranti patebit.

3. Summa Genera Rerum, septem primis literis notantur; id est, *vocalibus*; quibus subjungitur litera *v* distinctionis causa; & ut voces, flexionis sint capaces: *v*, enim præcedens, semper est nota dictionis *numerica*; ipsum tamen *v*, nullum *numerum* significat; sed tantumodo distinguit voces *numericas*, ab aliis vocibus: nam *ab* est *basis*; sed, *vab*, significat 14.

4. Literæ

4. Literæ *ei*, & *s*, in vocibus *Genericis*, sunt tantumodo *serviles* & *Expletivæ*, ad faciendam integram vocem: nam in summis Generibus Concretorum, & Accidentium, Litera Characteristica est unica; sic, *M* est concretum Mathematicum; *N* Concretum physicum; *S* Accidens Commune: qare his addendæ sunt Literæ in hoc casu serviles *eis*, sic *Meis*, *Neis*, *Seis*. In Generibus vero Intermediis Accidentium, qorum duæ sunt literæ Characteristicæ, sola *S* asciscitur in fine; ut *gos*, color, *gis*, sonus, &c. Sic etiam in Notionibus Genericis *partium corporis*; ubi Nomina *Specierum* formantur, additione vocalium ante literam Genericam, *ei* additur ad vocem Genericam faciendam; ut *eim*, *ein*, &c. Cum vero species formantur, subsecutione vocalium, Species distinguenturm; tunc Nomen Genericum formatur, additione terminatione *as*; ut *meis*, *neis*, *feis*, &c.

5. Summa Genera Concretorum, tribus consonantibus nasalibus notantur; qibus addenda est terminatio *eis*, ut voces integræ fiant, ut jam dictum.

6. Intermedia Genera Concretorum sæpius Polysyllabica sunt, propterea qod adsciscant literas Characteristicas Generum inferiorum. Sic cum Concretum Physicum dividitur, in hæc tria intermedia Genera; *Inanimatum*, *Planta*, *Brutum*; tres literæ *m*, *n*, *f*, sunt Characteristicæ *Inanimati*, & copulantur cum litera Generica *N*, per servilem

 diphthon-

diphthongum *ei* sic; *Neimneif*. Sic *b d g* sunt Characteristicæ *Planæ*, & fit *neibdeig: p t k*, *Bruti*, & fit *Neipteik*.

7. In Nominibus Specierum infimarum componendis, qæ Characteribus minusculis in Tabulis distinguuntur; Literæ duæ posteriores, quarum prior significativa est Generis intermedii, posterior vero ipsius Speciei; solæ septem vocales, & novem principaliores Consonantes, locum habent.

8. In Tabulis Concretorum, Litera secunda (hoc est vocalis) est Characteristica Speciei; tertia vero, scil. Consonans, est Characterist. Generis intermedii. In Tabulis vero Accidentium, contrario modo se habet; ut patet comparando Tabulas.

9. Nomina Notionum incompletarum in Tabulis Concretorum, id est, Partium Rerum; sunt etiam voces incompletæ & mutilæ: id est, biliterales (duplices enim literæ *fr*, *fl*, *fm*, *fn*, &c. habendæ sunt pro simplicibus, qæ loco simplicium literarum supponuntur, propter penuriam literarum simplicium) qæ quantum literarum distributio finebat, habent præcipuam Characteristicam Literam sui Integri seu Totius, cujus sunt partes: Sic partes *Figuræ* habent *b*, quæ est Charact. Figuræ; idem videtur in partibus *Cæli*, *Ignis*, &c. ad quarum species distinguendas *f r l*, sunt Characteristicæ; qæ nullo alio casu sunt Characteristicæ specierum. Sic Nomina partium *Animalis* (qod omnium

corporum

corporum Naturalium est perfectissimum; ideoque plurimas habet partes) componuntur ex *m*, *n*, *s*, quæ Characteristicæ sunt *Animalis*, septem vocalibus distinguentibus species; nunc vocalibus præcedentibus, nunc subseqentibus. Verumtamen Notandum, qod Literarum distributio non sinebat, absqe confusione cum aliis vocibus, omnes *partes* sic notare, per Characteristicon Nominis sui *Integri* seu *Totius*; ut patet ex partibus *Domus* & *Navis*.

10. Literæ *r* & *l*, sunt Serviles in Tabulis Accidentium: *r* est signum oppositæ Notionis; *l*, mediæ inter duas extremas. Eundem habent usum in Nominibus *Partium*, in Tabulis Concretorum: Verum in Nominibus Concretorum integrorum, seu Completorum; hæ Literæ post *f* ponuntur, propter defectum Literarum simplicium, & copiam differentiarum Rerum; ut etiam aliqando, *f* additur in initio, propter eandem causam, tam in Tabulis Concretorum, qam Accidentum.

11, Regula oppositionis & Medii, locum habet in solis Accidentibus; & Notionibus incompletis, inter Concreta: De qibus tenendum, Rationem Oppositionis, non semper esse manifestam; sed ad modum oppositorum qædam disponuntur, qæ stricte loqendo talia non sunt; partim ad sublevandam Memoriam; sed præcipue, ut facilius comprehendi possint sub Generibus, &

vocibus aptis insigniri, secundum Analogiam & Regulas Generales hujus Artis.

12. Litera *I* potest ubicunque Euphonia postulat, addi fini vocis desinentis in consonantem; cujus usus sic erit mere Euphonicus, nisi quod necessario adsumenda sit in plurali numero; quia eadem consonans negat duplicari sine vocali sequenti. Sic etiam, *s* servilis præcedit consonantem finalem, voci Radicali advenientem per flexionem Grammaticam; cum natura vocis non postulat aliam vocalem significativam præcedere.

13. Nullam reddo rationem Institutionis Nominum Animæ, Angeli, quæ concreta sunt Spiritualia, nisi simplex Arbitrium; sunt tamen eorum Nomina, satis distincta ab omnibus aliis vocibus. Deum *O. M.* intra Prædicamenti limites non concludo; sed ejus Nomen est vel sic efferendum, *Safua*, Causa Prima; vel *Aeov*, Ens Entium.

14. *S* est Litera servilis in vocibus numeticis, ex intervenit, & distinguit inter literas numeri significativas, & literas Grammaticales Flexiones significantes.

15. Cum quilibet vox, ut ingreditur orationem, sit sub aliqua Grammaticali Flexione; hinc vox pure Radicalis, est aliquid abstractum ab omni respectu Grammaticali: verum brevitatis causa, appropriavi vocem ex solis Radicalibus Literis constantem Notionibus Particularum significandis; quas omnes a Radicalibus Notionibus Tabularum

Intum derivari, Logicæ est Mysterium, in hac Arte Revelatum.

16. Cum voces mutilæ (id est, Nomina Partium) incipientes à vocali, ingrediuntur Compositionem, ad modum differentiæ (non Generis) adsciscunt *i* servilem distinctionis causa ne fiat confusio cum aliis vocibus.

17. Accentum quod attinet in hac Lingua, tenendum breviter. In vocibus dissyllabis, penultima est longa; in plurisyllabis est brevis; nisi longa fuerit, positione duarum consonantium.

18. Ad distincte & Euphonice efferendum voces seu sonos hujus Linguæ, hoc unicum requiritur: Accurate distinguere sonos septem vocalium, & Regulam de Accentu jam traditam bene attendere.

19. Vox primitiva pure Radicalis ex Tabulis Concretorum, significat ipsam notionem Concretam, Nominaliter, in casu recto; eadem ex Tabulis Accidentium, significat Notionem Particulæ, ut dictum.

20. In Compositione, vox Generica præcedere debet; differentialis seqi; ut, *Nukbeisam* elephas, non, *Beisamnuk*, *Swnfgab* adamas, non *Gabswnf*.

21. Ultimo, consulo ne diu hæreatur in Præceptis & Regulis contemplandis; sed statim ad Praxin progrediatur: ex modica enim praxi, facilia admodum invenientur, quæ primo intuitu & non exercitato difficilia videntur. Et quod est bene ob-

servandum, licet hic signa non ex mero Arbitrio, sed cum ratione Instituantur; adeoqe Memoriæ semel impressa, Intellectum erudiunt de Rerum naturis; tamen in Committendo voces Radicales Memoriæ (qod est primum faciendum in ordine ad praxin) parum, vel nihil attendenda est Rerum, & Signorum Methodus in Tabulis; via enim datur multo compendiosior, imprimendi Signa Memoriæ; de qa pauca dicentur capite seqenti.

CAP. VII.

De Subsidiis Mnemonicis.

RErum & Conceptuum nostrorum Signa dupliciter in Memoria reponimus, & conservamus: Primo frequenti repetitione inculcando; ita ut Signum auditum vel visum, freqenti usu, videatur Res ipsa; licet ab ea diversissima. Tantum scil. valet usus. Et qidem sola hæc actuum repetitorum freqentia, efficere potest ut memoria extempore suo officio fungatur, sine Intellectus ductu; sive res memorandæ Methodice disponantur, sive omni Methodo sint solutæ. Nec facilius acquiritur facilitas, & habitus memorandi, certum aliqem

aliqem numerum Rerum maxime methodice disſpoſitarum (hoc eſt, ita ut earum qælibet ſeparatim ſtatim deſignari poſſit, ſine mentis diſcurſu) qam par numerus Rerum non cohærentium reponi poteſt in Memoria: Et Ratio hujus eſt; qod Memoria (ſi liceat Animi Facultates diſtinguere) ſit Facultas omnino Paſſiva, & receptiva Idearum, ab aliis animi Potentiis ſibi concreditarum; & ad eam nihil ſpectat, (cum omnino cæca ſit, & omnis cognitionis & judicii expers) qo pacto res ad ipſam deferantur, Arte, an Sorte; qocunqe caſu, vel Conſilio; illa agit conſervando, & retinendo, ſecundum ſuas vires naturales. Et qidem ſi proprie loqi velimus, in Memoria Artificiali; ſive id fiat in Rerum Serie Legitima, & naturali; ſive per fictam mentis connexionem: Memoria hic nihil præſtat Artificiale, ſupra ſuas vires naturales. Sed totum hoc, eſt Rationis opus, educentis ex Memoria Signa, vel Res, in ipſa olim receptas & depoſitas.

2. Ratio humana, qæ Scientiæ Compendio qantum poteſt naturaliter ſtudet, Memoriæ imbecilitati opitulatur, operando connexionem Rei Ignotæ cum Re Nota, vel Rei Memorandæ cum re Memorata; in hoc enim ſolo, tota Ars Memoriæ ſita eſt: Et qidem hic eſt naturalis effectus Rationis in homine; videmus enim ſæpiſſime in puero vel ſervo, ſi ipſis mandetur Nomen aliqod incognitum recordari, ſtatim Ratio, qaſi naturali inſtinctu,

instinctu, confugit ad compositionem hujus Rei Incognitæ, cum alia Cognita affinis soni. Hæc autem compositio dupliciter fit; vel 1. ubi est necessaria, & naturalis Rerum ipsarum connexio; vel 2. Fit per solam Mentis Fictionem. Cum compositio fit secundum Rerum ipsarum Naturas, vel Generalem aliqam Regulam, eo firmior est, & permanentior: Exempla harum, sunt omnes Compositiones & Derivationes in Lingua Rationali; & etiam quæ in aliis Linguis regulariter fiunt. Sic, cum quis didicit primam conjugationem, ex verbo *amo*; postea si audiat hanc vocem, *vigilabunt*, ejus significationem statim intelliget (modo qid significet *vigilo* prius intelligat) quamvis hanc vocem, *vigilabunt*, nunqam antea audiverit. Ratio est, qia intelligit per partes, 1. qid significet *vigilo*: 2. Qid terminatio *bunt*; quæ etiam partes regulariter compositas, intelligit. Exempla compositionis Fictæ, sunt voces Radicales sequentis Lexici; quæ longe facilius in Memoria reponuntur, per fictam hanc connexionem, quam per discursum Logicum; etiamsi supponeretur Methodum hanc Notionum, ita Logicam & Naturalem esse, ut Ratio non minus facile posset eas percurrere, quam Literas Alphabeticas recitare. Hoc scio videbitur multis valde absurdum; est tamen experientia certissimum, & Ratio etiam evidens est, hæc; Discursus Logicus, est via multo longior ad inveniendum Signum, quam connexio

hæc

hæc ficta; dum enim ego ex discursu logico, quæsiturus sum vocem hujus Linguæ pro *animositate*; necesse est Ratio formet omnes hos distinctos Actus; est Accidens; est accidens physicum, sensitivum, cujus *P* est Characteristi. 2. Est sub genere intermedio *quinto*, & est species *septima*, sub hoc Genere. Quæ licet Methodus esset ita perspicua, ut ratio sine errore, posset omnia hæc percurrere; tamen hæc esset maxima tortura Mentis, tam longum discursum formare pro singulis vocibus: At vero, in ficta compositione, unicus tantum est actus Mentis ad inveniendum signum: sic, *v, g, pap æstimatio*; ego finxi connexionem inter *papam* & *æstimationem*: Cum igitur audio hanc vocem *æstimatio*; statim etiam sine ullo discursu, recordor *pape*: Vel si audivero *pape*, vicissim statim recordor *æstimationis*. Et qidem, sicut parvo labore possunt voces Radicales, memoriæ mandari per hanc Artem; sic parvo admodum exercitio, possunt homines satis expedite communicare, ex vocibus hac ratione in Memoria repositis. Fateor, ad recordandum voces ex-tempore, sine ullo Rationis & judicii exercitio, habitum requiri; ad quem gignendum in Memoria, nec Ratio vera, nec ficta multum conducunt; sed sola repetitio frequens, ut supra.

Qui igitur recordatur per hanc fictam connexionem (quæ duarum Rerum tantummodo est) sine ullo respectu ad res alias; comparari potest ei qui

qærens

qærens duos amicos, reperit eos solos in Domo aliqa Ampla: Qi vero recordatur per discursum Logicum, per transiendo longam Seriem & Catenam Notionum, illi, qi qærit duos amicos in Templo inter mille alios homines. Vel possunt hi comparari, duobus hominibus a Palatio Regio Londini, vicum Lambeth ex adverso, petituris. Alter Fluvium Tamesin cymba recta trajicit; alter circuitum facit per pontem. Qare consulo ei qi voces Radicales Memoriæ committere velit, ut prorsus negligat Methodum Philosophicam Tabularum, & hac sola Ficta Connexione, utpote multo compendiosiore utatur. Hic ponam exemplum 60. Vocum Radicalium, ex qibus judicari potest de cæteris.

France, *table.*	Barbara, *rectus.*	Podex, *ira.*
Flanders, *aratrum*	Gomorrha, *lux.*	Sand, *materia.*
Pomum, *admiratio*	Dod, *solvere.*	Bag, *concavitas.*
Adam, *succus.*	Dog, *aperire.*	Poket, *liberalis.*
Edmundus, *cortex.*	God, *ruber.*	Ass, *stella.*
Ugly, *arista.*	Puf, *observare.*	Ise, *mare.*
Pot, *animositas.*	Pudden, *attendere.*	Flamma, *panis.*
Fanum, *domus.*	Pavr, *concipere.*	Toperic, *hasta.*
Acteon, *ostium.*	Grumble, *nutrire.*	Dok, *spargere.*
Fens, *pons.*	Frame, *filum.*	Sno, *vivica.*
Pope, *æstimatio.*	Fabula, *organum.*	Foe, *venter.*
Marble, *circulus.*	Sibylla, *verum.*	Ant, *humor.*
Samuel, *efficiens.*	Cobler, *prescribere.*	Dik, *pungere.*
Sin, *pulchrum.*	Cogan, *incarcerare*	Globus, *flavus.*
Bed; *extra.*	Pipe, *diligens.*	Tatle, *meditatio.*
Before, *ante.*	Pride, *affabilitas.*	Tom, *littera.*

Smal,

Smal, *manus.*	Purgatorium, *si-*	Fringe, *Cathedra.*
Suggar, *Commune.*	Prin, *ferus(mulare*	Fæmina, *theca.*
Dig *percutere.*	Beg, *extremum.*	Sidney, *honestus.*
Sem, *incipere.*	Game, *dulce.*	Gabulum, *durum.*

Poterit qilibet ingeniosus, bis vel ter relegendo has voces, eas ita Memoriæ committere, ut cogitatione facta de una, statim altera memoriæ succurrit. Sic cum ego audio vocem *sin*, statim recordor *pulchritudinis*; & vice versa.

Qamobrem ex hac instantia evidens satis videtur, facili negotio posse omnes voces Radicales hujus Linguæ, unius Septimanæ spatio, in Memoria reponi; & si altera ad Praxin accidat, poterit structura orationis ex his fieri; & mutua Communicatio inter Homines, non minus qam in aliis Linguis: Et hoc est qod ab hominibus habetur fabulosum, & impossibile; ideoqe incredibile.

CAP.

CAP. VIII.

De Flexionibus Grammaticalibus.

HActenus explicatio Lexici, & vocum Radicalium; sequitur quædam dicamus de Flexionibus Grammaticis, in derivatione, Compositione, & Structura orationis.

Docent Grammatici *octo* esse partes orationis: Logici melius, *duas* tantum statuunt. Ego vero, secundum libertatem Philosophandi quam hic mihi arrogavi, *unicam* tantum Orationis partem, Primariam, & proprie sic dictam agnosco; *Nomen* scil. Cæteras vero vulgo sic habitas, esse inter Flexiones, & Casus hujus, numerandas. Ratio assertionis hæc est; omne *Ens* quodcunque, necessaria primo locum habet in linea predicamentali; omnis autem Notio prædicamentalis est Nomen. Quæ sequetur, Verbum esse tantum Casum, seu Flexionem Nominis, non minus quam aliæ partes a Grammaticis enumeratæ.

Res hæc extra contraversiam erit, si evincam a Logicis, unicum istud verbum Substantivum (Sum) derivari a Nomine prædicamentali: Quod conabor facere, 1. Negative, ostendendo *fuim* non derivari

derivari ab *Ente*. 2. Positive, ostendendo veram verbi Substantivi originem.

Dico primo, Verbum Substantivum, qod copula est in omni Propositione, non derivatur ab *Ente* (non nego posse derivari verbum ab *Ente*, non minus qam a Nocionibus *Substantiæ*, & *Accidentis*; verum hoc verbum longe aliud est a verbo Substantivo) qod ex resolutione harum duarum Propositionem demonstro. 1. *Homo est ens*. 2. *Homo est*. Si qis admittat primam propositionem esse legitimam, & constantem tribus terminis distinctis, Subjecto, Copula, & prædicato (qæ partes sunt essenciales omnis propositionis) habeo intentum. Si dicatur hanc prop. esse Tautolog. & vocem *Ens* redundare, & qod hæc *Homo est*, significet totum qod *Homo est Ens*. Insto, vel hæc nulla est Propositio, vel necessario est resolvenda in *Tres* Terminos Mentales; licet hic *duabus* vocibus expressos. Qare, hæ duæ voces vel non significant ad modum Propositionis, vel resolvenda est, *est* in *duos* termi-nos, *copulam* scil. & *prædicatum*. Et sic habeo qod volo; *copulam* propositionis, esse aliqid distinctum a Notione *Entis*.

2. Positive ostendo veram Verbi substantivi originem: Verbum fatentibus omnibus; nihil est aliud, qam pars *Formalis* propositionis; id est, Signum Actus Mentis *Judicativi*. Cum vero Judicium dupliciter feratur de Objecto; vel per assensum, vel dissensum (qi actus vocibus expressi

presſi dicuntur *affirmatio* & *negatio*) hinc ſequitur duplex eſſe Verbum Subſtantivum, reſpondens duplici Actui Mentis Judicativo; quæ duo verba, ſunt caſus Notionum *affirmare*, & *negare*, quæ ſecundum leges predicamentales primo concipienda ſunt Nominaliter. Et bene hic tenendum eſt, Verbum (qua tale) eſſe meram copulam, & Signum Actus Judicativi; & Tempus, eſſe qid extrinſecum ejus ſignificationi. Non male igitur ſupponi poſſunt hæ voces (*ita*) & (*non*) pro propriis Verbis Logicis, & Signis actuum Judicativorum: quæ voces, etiam ſecundum uſum vulgarem loquendi, ponuntur verbaliter. Ut, an Petrus eſt in domo? R. *ita*, *non*. id eſt, Petrus eſt in domo, Petrus non eſt in domo; vel magis Logice, ſic. Petrus *ita* in domo. Petrus *non* in domo. Nam obſervetur has voces, non ſignificare adverbialiter, eo modo qo *dolle*, *male*, *bene*. Sic enim voces *affirmative*, *negative*, ſunt adverbia notionum *affirmare* & *negare*. Sed ſignificant Judicium copulative: Et Ubicunqe inveniuntur in oratione, ſignificant ad modum copulæ, inter ſubjectum & prædicatum; licet abſurdè ex vulgari uſu, hæc vox *eſt* cum iis jungatur in propoſitione. Imò in propoſitionibus negativis, eſt implicatio in ipſis terminis, dum nota *affirmandi*, cum nota *negandi* jungitur. Homo *non eſt* lapis; qaſi homo *non ita* lapis: Saltem nota *affirmationis* eſt redundans. Duo igitur ſunt verba; *ita* & *non*. Cumqe Verbum

bum Negativum, non ingrediatur propoſitionem Affirmativam; eſt non minus abſurdum, ut Verbum Affirmativum ingrediatur propoſitionem Negativam.

Ex dictis etiam patet, qam abſurda ſit eorum opinio, qi docent verbum Subſtantivum non eſſe neceſſarium ad faciendum propoſitionem: Pari enim ratione docere poſſunt, Subjectum vel Prædicatum non eſſe neceſſaria; eſt enim pars Eſſentialis & maxime Principalis propoſitionis. Hoc qidem verum eſt, poſſe Copulam, compendii gratia includi in eadem voce cum Prædicato, vel & Prædicato & Subjecto: *v.g.* hæc vox *amamus*, continet in ſe 4 diſtinctas Notiones; id eſt, *nos, præſenti tempore, ſumus*, (vel potius *ita*) *amantes*.

Inſuper ex dictis infero, nullam eſſe Negationem in terminis ſimplicibus; omnis enim Negatio eſt Actus Mentis, ſeparans aliqid ab aliqo. Qare, maxima pars Doctrinæ Logicæ, qæ tractat de æqipollentia, & converſione propoſitionum, eſt vana, inutilis, & abſurda. Qis Bubulcus non docebit Logicum ſic enuntiantem. *Homo eſt non lapis*; ſignificantius dicere, *homo non eſt lapis*. Nulla igitur eſt propoſitio terminis negativis conſtans, cujus Negatio, per reſolutionem Logicam non reducatur ad Copulam.

Hoc igitur ſtabilito, qod unica tantum ſit Pars Orationis principalis; tot dici poſſunt minus

Principales, qot Grammaticæ Flexiones, & variationes; qarum numerus poteſt eſſe vel major, vel minor, prout qis ſtatuat, pluribus vel paucioribus Particulis Auxiliaribus, in ſtructura Orationis uti. Hinc qædam Linguæ, pro circumſtantiis temporis, modorum, perſonarum, gradibus comparationis, utuntur vocibus diſtinctis & ſeparatis; aliæ, has circumſtantias, terminationum varietate diſtinguunt. Quos autem diverſos reſpectus & circumſtantias ego hic admiſerim terminationum varietate ſignificari, ex Tabula Grammaticalium Flexionum patet; in qibus explicandis non inſiſtam cum ſatis notæ ſint ex exemplis.

Qod de numero Notionum Radicalium notavi, ni qod viam mediam inter duo extrema elegerim, hoc idem facio in Grammaticis Flexionibus; non enim toties vario vocem Terminationibus diſtinctis, ad diverſos modos & circumſtantias exprimenda, qoties compendii cauſa per Regulas certas potuiſſem; cum non ſit neceſſarium ſic facere, & memoriam valde oneraret, confuſionem præterea pariens in Signis; Mirum eſt qot varias Terminationes non neceſſarias, qædam Linguæ admittant.

Nec 2. Ita ſtricte Logicas Regulas ſeqor, ut eadem rigiditas obſervetur, in compoſitione & ſtructura Orationis, qæ in Analyſi; hoc eſt, ut omnes diſtinctæ partes, diſtinctis vocibus exprimantur: Certum enim mihi videtur, omnem Grammati-

cam

cam Flexionem distinctum aliqid superaddere Radicali Notioni; qi respectus distinctis & separatis vocibus exprimi possent, nisi aliter fieret compendii causa. Qare ut dixi, media via incedo, præcipuas modales Variationes Terminationum varietate distinguens; alias vero vocibus separatis. Sicut igitur nulla vox Primitiva admittenda est in hac Lingua, nisi qæ in Tabulis habetur; sic nulla Derivativa, nisi qæ secundum has Grammaticas Flexiones fit. Non necessarium est moneam, non omnem Notionem Primitivam capacem esse omnium harum Flexionum. Hoc tamen observatu dignum est; hanc Linguam esse longe copiosiorem in Derivationibus & Compositionibus, qam qælibet alia Lingua; variabilitas enim in Notione, est Regula variandi vocem; Cum Derivationes Linguarum vulgarium, coarctentur inter breves gyros Regularum Grammaticalium. Qarum nulla alia ratio reddi potest, nisi placitum & Arbitrium Majorum nostrorum; idqe mero Casu factum: Contra qem receptum usum loqendi, si qis loqatur secundum Regulas Logicas, Barbarus habebitur; Qales essent hujusmodi phrases, *ignifica, luminifica* candelam; *inignifica, inluminifica*, pro *extingue*. Sic non licet dicere; *tenebile, dabile, scribibile, ridax, legax, ocululus, mamilus, pedulus*. Cum tamen hæ notiones, & hujusmodi fere infinitæ, postulent eandem Flexionem cum aliis, qam Linguarum Analogia iis contra omnem Rationem denegat.

Notabilis est hæc differentia (inter plurimas alias) inter hanc Linguam & vulgares : In vulgaribus, habent Regulas qas vocant *Elegantiæ*, & *ornatus* ; qæ sæpissime potius dicendæ sunt *Absurditatis* : Ita in malum omne sumus nos depravati homines proni, & in vetita ruimus ; ut non solum pro maximis corporis nostri ornamentis habeamus, qæ corporis sanitati, & naturæ ipsi, sæpissime adversantur ; sed etiam Animas nostras, absurdis Figmentis, pro veris Scientiæ Dotibus corrumpimus. In hac lingua omnis Elegantia in hoc sita est ; ut λογος externus, sit interno perfecte conformis ; ita, ut sermo sit Analysis Logica Conceptuum nostrorum : Et nemo hic potest ornate & eleganter loqui, & orationem construere, nisi bonus Logicus, qi eandem in suas partes noverit resolvere. Nec tamen hinc sequitur, neminem posse sensa sua hac Lingua exprimere, nisi Logicæ Artis peritus : potest enim qis Logicæ (Artis) rudis, sensa sua hac lingua modo intelligibili patefacere; qod satis manifestum est ex aliis Linguis ; potest enim Rusticus, sensa sua exprimere de Rebus ipsi notis, ita ut ab aliis intelligatur : at vero Logicus plurimas absurditates in ejus sermone inveniet. Sed e contra, hoc bene sequitur ; Ea qæ Logicus profert, facilia intellectu omnibus futura ; ni. si materia sermonis sit ipsis nota : Et hoc satis etiam manifestum est ex Linguis vulgaribus, in qibus multo facilius est intelligere, qam loqi ;

qod

qod multo magis hic locum habet.

Hic insuper notari velim, qod Artis Logicæ ignarus, dum hac Lingua utitur, aptus erit Phraseologiam suæ linguæ seqi; qæ sepius absurda & insignificans est. Homines enim priusqam præceptis Logicis imbuantur, loquuntur in multis more psittacorum: Formulas qasdam traditione acceperunt, qibus utendi libertate sublata, obmutescent. Si enim inhiberetur Rusticus Anglus uti his phrasibus, *he must be born with*; *put out the candle*; mutus stabit. Ratio est, qod has phrases ex consuetudine qadam addidicit ad tales conceptus exprimendos, Logicam vero Analysin horum complexorum conceptuum, perficere in mente neqit: Et qidem nonnulli sunt respectus Rerum, & concursus Notionum, qos Logice exprimere est perdifficile: Imo fastigium est acuminis Logici, posse bene Animi sensa hac Lingua exprimere. Qamobrem ad manuducendū Logice Artis ignaros in hanc linguam (id est, in veram praxin Logicæ) facienda est collectio qarundam Formularum ex Linguis vulgaribus, qæ Logice resolvendæ sunt per voces hujus Linguæ.

Hic etiam notatu dignum est, bene admitti posse variandi Formulas ad eandem Rem exprimendam in hac Lingua, non minus qam in aliis; sicut enim 4. & 4. vel 5. & 3. vel 2. & 6. faciunt octo; sic ex diversis simplicibus Notionibus, potest idem sensus fieri.

Compositio in hac Lingua, est duarum vel plurium dictionum in unam coalitio, majoris compendii causa in conceptibus nostris patefaciendis & communicandis. Atqe hoc fieri potest pro re nata, qodlibet cum qolibet componendo; modo termini simplices eodem modo significent in Compositione qo extra compositionem. Cum enim rerum habitudines & Respectus mutui & Differentiæ, ita infinite varient, nec ad hæc singula significanda dari potest vox simplex primitiva; & omnes Animi conceptus ex paucis primis vocibus sine ulla variatione, exprimere impossibile esset sine longissimis periphrasibus; ideo compendii causa necessario admittendæ sunt Derivationes & Compositiones. Et hic tenendum est, illas Notiones qas Derivativas appellamus, si stricte loqi velimus, esse revera compositas; distinctionem tamen facimus, qod illæ per additionem mutilæ Terminationis, vel etiam Præpositionis, fiant; hæ vero ex integris vocibus separatim significantibus. *Filiolus* enim est vox composita, ex *filio* & *parvo*; *durior* ex *duro* & *magis*, logice loqendo: appellantur tamen hæ voces Derivativæ quia alter terminus compositionis mutila terminatione exprimitur.

Hinc est qod eo perfectior habeatur Lingua aliqa, qanto capaciores sint ejus voces Derivationis & Compositionis; ideoqe Lingua Græca præ omnibus nobis notis præfertur, propter verborum copiam

copiam ex Derivatione & Compoſitione; eaque eſt ſola Lingua quam adhuc habuerunt Philoſophi, idoneam ad Artes docendas: quod unicum Argumentum (ſepoſita fide Hiſtorica) Græcos Gentem doctam & Philoſophiæ primos cultores arguit. Et hodie obſervare licet, Gentes cultiores Compoſitionis & Derivationis Artem indies augere in ſuis Linguis vernaculis; ſic Angli *ſelf-denial*, *fellow-feeling*, & infinita fere ſimilia quotidie excogitantur. Concludo igitur, licere in hac Lingua quodlibet cum quolibet componere, modo ſignificanter & ad rem fiat; ſecus abſurditas committitur.

Not. denique, Compoſitionem quod attinet; quædam eſſe Notiones communes, quæ ſæpiſſime Compoſitionem ingredientes in multis Linguis, per modum mutilarum Particularum vocibus cum quibus componuntur, præponuntur; & ideo verius dicendæ ſunt Derivativæ, quam Compoſitæ hujuſmodi ſunt Latine, *re*, *con*, *am*, *ſe*, *in*, *ad*, *ab*, &c. quæ in hac Lingua Leges Compoſitionis ſervant; hoc eſt, tota vox ſimplex Compoſitionem ingreditur.

CAP. IX.

De Syntaxi.

STructura orationis illi qi ſuos conceptus reſolvere poteſt, facilis admodum eſt; pro qa hæc Regula generalis teneatur. *Idem ſit ordo Signorum & Orationis, qi Mentis Conceptuum ſeu Actuum Rationis.* Mirum eſt, qanta ſit tranſpoſitio vocum de ſuis locis propriis & naturalibus per hyſteron-proteron in qibuſdam Linguis, præcipue Latina; adeo ut ſæpiſſime eveniat, hominem omnia verba ſingulatim ſumpta ſatis intelligentem, ſenſum tamen integræ orationis, ſine longo diſcurſu capere non poſſe. Cui rei procul dubio occaſionem præcipue dedit Numerus, qi ab Oratoribus in oratione Soluta obſervatur, non minus qam in Ligata, qiqe ad Regulas Artis forte reduci poterit, non minus qam Poeticus. Verum in hac Lingua non eſt ferendum, ut aures demulceantur cum animi jactura, qod raro admodum aliter fit, præcipue a Poetis & Fictionum Amatoriarum Scriptoribus; cui generi hominum, qi nihil aliud qam ſpumam turbidæ Mentis ebullire ſolent, fateor me parum favere: Cenſeo enim hos, Peſtes Reipublicæ

Reipublicæ pernicioſiſſimas ; nam Mentes teneras Juvenum honeſtis Artium præceptis & Virtutis praxi, jam imbuendas, vitiant & polluunt. Utcunqe, aliud remedium hic inventum eſt ad numerorum concentum harmonicum ſupplendum, abſqe orationis ſtructuræ Logicæ perturbatione; ni interpoſitio ſervilis literæ i qoties Euphonia poſtulat.

Regulæ particulares ſunt. Primo, *Subſtantivum præcedat Adjectivum* ; ſic, *ſef goma, charta alba, ſef groma, atramentum nigrum.*

2. *Agens præcedat verbum activum, patiens ſequatur* ; ut *ſunilli poneſi Sava, omnes amant Deum* ; *Sava poneſi lalli ſunilli, Deus amat nos omnes.*

3. *Adverbium ſeqitur verbum* ; ut, *lal trim ſef trineſu ſimai ego non poſſum ſcribere bene* ; *lelil ſpudeſt pipai, ille laborat diligenter.*

4. Modus ille loqendi qi Latinis, *Ablativi abſolute poſiti* dicitur, qi Græcis in Genitivo caſu ponuntur, Angli vero Conſtructionem hanc, per voces, *having*, *being*, exprimunt ; eſt loqendi compendium qod in integram propoſitionem reſolvi poteſt ; verum propter freqentem uſum admittendum eſt hoc compendium : Cumqe hæc Conſtructio ſemper fere reſolvatur in Tempus, per voces *cum*, *dum*, *poſt*, &c. ideo particula temporis erit hujus phraſis ſignificativa ; ut, *dan lollir tino, lel ſoftineſa ſhomdan* ; *ſhobdan lel ſtemeſa tineſu.* His dictis, *ſiluit aliqandiu* ; *poſtea vero progreſſus eſt loqi, ſeu continuavit ſermonem : dan lolir ſamo, lelil,*

lelil ſofſtemeſa ſpudeſo, Hoc facto ceſſavit ab opere, vel operando. Dav lal trimeſo, lelil bredprudeſa; mus ſcribente ille ingreſſus eſt. Notiones Temporis ut Philoſophis difficiles intellectu, ſic Grammaticis expreſſu. Hæc conſtructio Anglice ſæpe dicit reſpectum ad *cauſam*; & tunc per particulam cauſæ reddenda eſt; ut, *My hand being weary I cannot write longer*; id eſt, *ſas, ſnav lala ſpugo, lal trim ſef trimeſo danibai*, vel *ſundan*. Multis modis poſſunt hujuſmodi phraſes variari, & omnes ſignificare & Logice & Emphatice.

5. *Nomen Adjectivum & Genitivus caſus, per ſtrictam Analyſin Logicam, eandem conſtituunt Notionem, ſeu Nominis Radicalis Flexionem; & ſi ſuperaddunt reſpectum pertinentiæ.* Hoc clarius apparebit comparando phraſes diverſarum Linguarum; Lingua Hebræa exprimit Flexionem, ſeu caſum Adjectivum (jam enim bene advertendum, quod omnes variationes Notionis Radicalis, ſive verbaliter, adverbialiter, adjective, &c. ſunt vere Caſus, ſeu Flexiones Nominis Radicalis) maxime proprie ſic dictum, per Genitivum Caſum, vel ſaltem per conſtructionem huic æqivalentem; ut, *homo albedinis, homo fortitudinis*; qa phraſi etiam aliqando Angli utuntur; *a man of might, a place of much Light.* Sic viciſſim qædam Linguæ Genitivum caſum propriiſſime ſic dictum a Grammaticis, adjective exprimunt; ut; Anglice, *Gods houſe*, Johns *Father*, Williams *Son*, *my hand*,

his

his sont; sic Latini; *manus mea, pes tuus:* Ubi pronomina qæ pro Nominibus Substantivis supponuntur, redduntur Adjective. In omnibus quibus, Flexio Adjectiva, seu Genitivus Casus, significat Relationem pertinentiæ, possessionis, seu habitionis; Verum ego has Grammaticationes ut distinctas admisi, majoris compendii & claritatis causa. Perdifficile quidem est Regulis certas præscribere quando Flexio Adjectiva quando vero genitiva sit utenda; nam ut dixi in stricta Logica Analysi, sunt eadem omnino flexio seu respectus: Hoc tamen hic offero. Utimur Flexione Genitiva (qæ exprimitur per particulam *sa* a Radice *pertinere*) cum loqimur de duobus notionibus, ita, ut de una earum conceptus fiat in statu abstracto, vel quasi abstracto, separato, & distincto ab alia; ut, *albedo hujus parietis, Lux hujus diei*, manus Petri; Adjectiva vero, cum duas res concipimus in statu Concreto, composito, & unito; ut, *paries albus, lux diurna, membra humana.*

6. Admitto Compendii causa distinctionem *personæ*, & *rei*, fieri per terminationes in eadem voce cum Nomine Adjectivo, sicut etiam fit in multis aliis Linguis; ut, *Sunirri tims sanu sanu*, vel, *sod Sava*; *omnia facta sunt a Deo. Simalli sodesi simai*; *boni homines bene faciunt.*

7. Constructio Ablativi & Dativi casus, seu qod idem est, particulæ, *ab* & *ad*, sunt significativæ relationis motus, ni. a termino, & ad terminum;

num; id est, *actionis* & *passionis*; ideo optimo jure derivandæ sunt hæ particulæ a suis propriis Radicibus; ut, *Eef lola trinoſa* ſod *lal*; *hic liber ſcriptus erat* a *me*. *Lelil prudeſa* ſod *fanſava, ſtoſdadu*; *ille venit* a *templo, foro*. *Sava ſpabeſi ſmarri ſuna* ſhod *lalli*: *Deus dat* nobis *omnia bona*.

8. Verborum impersonalium qædam redduntur per adjectivum *Rei*; qalia sunt hæc: *oportet, convenit*, &c. Sic, *Tim ſedar ſunilli ſhapeſu*; *oportet omnes homines mori*. Hujusmodi vero, *pluit, coruſcat*, &c. sic reddenda sunt; *nan naneſi*; *ignis coruſcat*; *nun naneſi*, *ventus ſpirat*; *nen neneſi*; *pluvia, pluit*.

In propositionibus constantibus duobus Nominibus, ubi nullus habetur explicitus respectus ad differentiam temporis (qod licet non observatum sæpissime evenit; ut in propositionibus vulgo dictis æternæ veritatis, magis proprie, necessariæ connexionis) tunc Subjectum & prædicatum copulantur, per duo verba substantiva *tim* & *trim*, pro ratione qalitatis propositionis affirmativa vel negativa; ut, *Sava tim ſima*; *Deus eſt bonus*. *Tuſa tim tuma*; *voluntas eſt libera*; *ſabrin lola trim muſ*; *hæc penna non eſt lapis*: *Nam trim nim*; *Cælum non eſt terra*: *lelil trim pono ſod ſava*; *ille non eſt amatus a Deo*. Cum vero temporis differentia innuitur, reddenda est per flexionem verbi temporis *dan*, sic; *Petrus daneſa bred ſan*; *Petrus fuit in mo*. Verum, si addatur particula temporis diffe-

differentiæ ſignificativa ſeparatim, redundaret verbum temporis; ut, Petrus *tim bred fan lola ſubdangom*; non, *Petrus daneſa bred fan lola ſubdangom*; *Petrus fuit in hac domo heri*: Sic, *Petrus tim bred fan lola holdan* vel *dlandan*; non, *Petrus daneſi bred fan lola dlandan*.

9. Tenendum, in omnibus propoſitionibus affirmativis, ubi eſt verbum adjectivum (id eſt, conjugatum per flexiones temporis ſignificativas) omitti verbum ſubſtantivum, *tim*, compendii cauſa; in negativis vero ſemper exprimitur verbum *trim*.

Hic non addam plures Regulas de ſtructura orationis; Logicæ enim peritus ſatis ſciet ex paucis hic dictis, & capite ſequente dicendis de particulis, qommodo connectere Notiones ſuas in aliis caſibus: alii vero facile acqirent Logicæ praxin, ex praxi hujus Artis.

CAP. X.

De particulis.

DIvina ſorte magis quam Humana Arte ductus, fæliciſſimo Auſpicio, clavem hujus Inventionis primo reperi; propter cujus defectum, viri Docti, qi ante me hujus Artis Fores ſeduło pulſabant, neqibant intrare. Per hanc Clavem intelli-

go

go Notiones vulgo *Particulæ* vocatas; qæ ita se habent ad Orationem ut anima ad hominem; vel Tendines Nervi & ligamenta ad Corpus; vel Cæmentum ad Ædificium. Subductis enim Particulis ex Oratione, qid remanet? Nisi mortuum Cadaver, sine forma hominis? Vel soluta membra sine forma corporis; vel cumulus lapidum sine forma domus? Et sicut Particulæ Formalem & Principaliorem partem Orationis constituunt, adeoqe difficillimam (tota enim praxis Artis Logicæ & Grammaticæ in iis recte utendis sita est) sic etiam partem orationis maximam faciunt. Qare, dico harum resolutionem & reductionem sub regulis Artis, Inventionis Clavem.

Memini selectum numerum virorum Doctissimorum in Academia Oxonienſi, qibus primo Inventionem hanc communicavi, dum viderent Schema totius Artis in unica pagella exhibitum, Characteribus additis, brevitatem hanc incredibilem omnes mirabantur; præcipue illam partem qæ Particulas complectebatur. Ex his vir clariſſ. Sethus Ward *T. D.* & Astronomiæ Professor in eadem Academia, postea mihi communicavit Tabulas Notionum Philosophicas, qas Artem hanc intendens ipse composuerat: Et licet ad Particulas explicandas, & structuram orationis ex iis nondum descenderat, probabile tamen admodum est, qod labores ejus temporis progressu, serius aut citius in publicam lucem Artem hanc produxissent.

Postea

Postea vero mihi nunciatum est de aliorum propositis hac in re; circa enim idem tempus, prodiit Liber Anglice, sub Nomine Characteris Universalis; qi revera nihil aliud novi docebat, qam scribere vel loqi Anglice modo multo difficiliori qam vulgo fieri solet. Ingeniosius multo cogitata sua de hac Arte proposuerat Franciscus Lodwick Cives Londinensis; verum huic Suscepto impar, propterea qod Artis expers, & extra Scholas natus.

Primus igitur meus conatus in hac Arte, longe alius erat a Methodo hic exhibita; præcipue in Particularum materia. Primo enim omnes Notiones Primitivas in duas Classes dividebam; Materiales scil. & Formales: Nomina & Verba & eorum casus partes materiales appellabam; easqe Characteribus Majusculis notabam: Formales seu Particulas, punctulis minusculis circum Characterem Majusculum nominis vel verbi, designabam; eodem modo qo solent in Arte Brachygraphiæ, vocales per puncta notare circa Characterem consonantis. Et qidem hic modus maximum compendium scribendi docebat; sicut enim in vulgaribus Literis, qilibet Character significat partem vocis unius, forte *qartam*, *qintam*, *sextam*, &c. hic, minimum punctulum significabat integram Notionem; *v g*, hæc sententia, *ego amo illum valde bene*, scribebatur unico Charactere Majusculo pro verbo *amo*; cæteræ particulæ per puncta circum

circum hunc Characterem affixa significabantur. Sic hæc sententia: *Sed quoniam nos sæpe molestamur ab illis, ideo nos quoque illos aliquando molestabimus.* Tota hæc sententia duobus Characteribus Majusculis scribebatur; cæteris vocibus per punctula circa Characterem affixa, expressis.

Verum postea, cum percipiebam multas notiones qibus pro particulis & primitive utebar (jam enim collectionem feceram circiter, fere 300 particularum) esse vel revera compositas; quales sunt adverbia temporis, loci, conjunctiones causales; ut, *hic, illic, ubique, aliquando, quando, sæpe, quæ, ideo*, &c. Alias vero, nihil esse aliud quam adverbia modi; quales erant, *bene, male, facile*, &c. Ideo Particularum numerum (quarum tot primo utebar, propter majus scribendi compendium) ex Analysi Logica indies minuebam.

Tandem vero mihi affulsit clarior lux; accuratius enim examinando omnium Notionum Analysin Logicam, percepi nullam esse Particulam, quæ non derivetur a Nomine aliqo Prædicamentali; & omnes Particulas esse vere Casus, seu Modos Notionum Nominalium. Jamqe inter hæc duo hærebam, an scriptionis compendium negligerem; an vero admitterem pro primitivis, quæ revera & Logice talia non erant; quod contra principalem hujus Artis scopum omnino erat. Quamobrem cum hæc duo conciliare neqibam, concluſi Logicam institutionem Nominum Rerum,

Rerum, utilitati Brachygraphicæ longe anteponendum; sicque omnes Particulas ex ordine Radicalium missas feci. Cumque jam respicio quot & quam varias Methodos & modos in hac Arte pertransiverim, quorum omnia longum esset recensere, experientia propria testatur, verum esse quod vulgo dicitur, Nihil simul natum & perfectum; & prima Artium lineamenta esse admodum rudia.

Tenendum me *sex* particulas Pronominales retinuisse, non necessitatis sed compendii causa, qia aliter sine longa periphrasi communicare non possumus; ponuntur enim hæ loco Nominum, ideoque Pronomina recte appellantur. Quod non sint absolute necessaria, & primitiva, patet, quod quævis propositio illis constans resolvi potest per Nomina ipsa pro quibus hæc supponuntur. Sic *ego* scribo; id est, *Georgius Dalgarno* scribit: dum Petrum alloqor; *tu* scripsisti; id est, *Petrus* scripsit; dum Petrum alloqor de tertio aliqo, Johanne; *ille* scripsit; id est, *Johannes* scripsit.

Hic bene observandum est, præcipuum quod reddit Linguas vulgares difficiles, est maxima ambiguitas particularum; ut videre licet apud Autores qi hoc subjectum tractarunt in variis Linguis: non enim sufficit ut aliqis Linguas vulgares intelligat, ut significationem omnium vocabulorum principalium separatim intelligat; Particulæ enim tam multiplicis & incertæ sunt significationis, ut neqeant Regulæ certæ dari ad earum sig-

nificationem determinandam; sed hoc ex solo usu & longa experientia est colligendum.

Judicia virorum doctorum varie expertus sum de modo instituendi voces ad *particularium* Notiones significandas: Quibusdam magis placebat modus ille prior, qo certum numerum Particularum pro Primitivis constituebam, a Notionibus Nominum in Tabulis positis distinctas. Ratio eorum erat. Primo, qod cum Particulæ sint notiones frequentis usus, voces iis significandis impositæ debent esse qantum fieri potest compendiosæ. Secundo videbatur illis in qibusdam Particulis qæ complexæ sunt significationis, ut vox longior, sic etiam obscurior: ut in vocibus, *suusum*, vel *sunshun* unusqisqe; *sufshun*, vel *shumsuf* fere. Hæ enim voces sunt dissyllabæ, nec tamen totum sensum harum Notionum perfecte & plene exprimunt. Alii contra mecum hic sentiebant, qod cum notiones omnes Particularum sint ex natura Rei ipsius derivativæ a notionibus radicalibus Nominum (qod contra opinantes negare neqibant) ideo consentaneum esse, ut ab iis formentur; & omnino absurdum esse in Lingua Philosophica, admittere aliqam Notionem qæ non originaliter sit Nomen (vel saltem pro Nomine positum) & capax omnium flexionum Grammaticalium; qarum hæc est una, vocis scil. Radicalis mutilatio, qa denotatur vocem talem non significare partem aliqam materialem propositionis, sed formalem;

formalem; id est, varios modos qibus intellectus notiones jungit in textura orationis; & varias rerum circumstantias situs, positionis, temporis, loci, &c. Quæ hæ præcipue derivantur a notionibus transcendentibus & communioribus, & accidentibus sub Genere Accidentis Mathematici contentis. Præterea difficile est admodum determinare significationem harum vocum sine ambiguitate aliter: Imo omnino determinari nequeunt nisi ex notionibus Nominalibus ad quas dicunt essentialem respectum; quæ æquissimum est sicut quoad *Rem* derivantur ab illis sic etiam quoad *Signum*. Nec minori cum ratione derivantur, *&, ab, ad, per, sine*, &c. a radicalibus notionibus a qibus earum significatio determinatur, quæ *bene, male, dolle*, &c. a suis Primitivis.

Ad illud autem quod objicitur; voces esse longas nimis. Resp. Satis sunt breves quæ pro particulis primitivis supponuntur; secundum Regulam hujus Artis. *Vox Tabulæ Accidentis in oratione posita sine aliqua terminali litera addita est Particula.* Quod autem quædam particulæ sint propter compositionem longiores; qid hoc refert, quod aliquando sint dissyllabæ, trissyllabæ, quadrissyllabæ, modo satis distinguantur ab aliis vocibus? Sunt enim quædam Particulæ valde complexæ significationis, & cum capacitas Compositionis sit maxima excellentia in hac Lingua, absurdum omnino esset denegare Compositionem vocibus significantibus Notiones

maxime complexæ naturæ; qales sunt quædam Particulæ. Videmus enim in omnibus Linguis, Logicam Naturalem hoc dictasse hominibus, Complexis Notionibus Particularum significandis, voces complexas imposuisse: ut quandoquidem, nihilominus, unusquisque; Anglice, *nevertheless*, *whensoever*, &c. Quare hæc abbreviatura vocum ad Brachygraphiam pertinet; nec est ejus consideratio admittenda in Lingua Philosophica, nisi secundario. Ad illud iterum, quod hæ voces aliquando non satis explicite dicant totam Notionem & conceptum Mentis. Resp. Fateor, aliquando sic est; non est enim expediens ad compendium & facilitatem communicationis, ut Notiones omnes nostras Simplices per rigorosam Analysin Logicam longa periphrasi semper explicemus. Sic vox *unusquisque*, significat distincte omnes distributive cum respectu ad singulas partes unatim; nimis autem esset laboriosum omnia hæc exprimere, in omni oratione ubi vox *unusquisque* occurrit: Quare vocem ex radicalibus *totius* & *partis*, vel *totius* & *unius* componimus, & supponimus pro hac complexa Notione, quod multo magis est rationabile, quam vocem ex simplici instituto supponere. Concludo igitur, sicut Notiones Particularum derivantur a Notionibus Predicamentalibus; sic etiam debent earum voces: Quod autem sic deriventur, abunde patet ex ulteriore earum resolutione. Unico exemplo instabo, de Particulis *tam* & *quam*. Hæc

pen-

penna est *tam* longa *quam* illa; id est, hæ duæ pennæ comparatæ sunt *æqualis* longitudinis, vel *æque* longæ. Hæc penna est longior, vel magis longa quam illa; id est, He pennæ comparatæ, hæc est longior, seu *magis* longa.

Ex his censeo abunde satisfactum esse iis qi resolutionem Logicam orationis perficere possunt, omnem Particulam derivandam esse a Notione Prædicamentali; & propterea facile erit illis, intelligere & recordari voces in seqentibus Tabulis, Particularum significativas: Rudiores vero qod attinet, voces Particularum ex Tabulis addiscant, tanqam essent ex mero instituto; idem enim signum potest esse respectu unius Rationale, respectu alterius qi rationem institutionis non apprehendit simpliciter arbitrarium.

Particularum Doctrinam absolvam, resolvendo qasdam Particulas & Constructiones difficiliores.

Totum Corpus, caput, terra, &c. absurde; pro, *totum* seu *totietas, corporis, capitis, terra*, &c. Non enim dicimus; *partiale corpus, caput*, &c. sed, *pars corporis, capitis, terra*; & eadem est constructionis ratio utrobiqe: vel si alterum horum verborum reddendum esset *Adjective* (nam supra docui Genitivam & Adjectivam Flexionem esse eandem) non *totum* & *pars*; sed *corpus, caput, terra*, adjective flectenda essent. Male sonarent hujusmodi phrases Latine; melius Anglice. *The bodies whole, the*

leads parts, &c. Quare in hoc sensu collectivo notio (*totum*) Substantive & abstracte est accipienda; in sensu vero distributivo, hæ notiones sunt reddendæ adjective *uvvi suna, omnes homines*; vel per adjectivum *persone*; sic *sunalli, omnes homines*; *sunirri*, omnes res. De particula *unusquisque* hactenus. *Aliquis, nonnullus, particularis*; sunt adjectiva *partis* vel *unius*. *Illus*, est adjectivum *omnis*. Voces hæ; *qicunqe, ubicunqe, quandocunqe*, &c. significant rem, personam, tempus, vel locum, &c. cum quadam Emphasi, quæ Latine exprimitur per terminationem *cunqe*; quæ bene significari potest, per geminationem. Particulæ relativæ *lul* his præfixæ; *lulluldan, lullulldad, lullulil, lulluslr*, &c. Quo pacto etiam fit nonnunqam Latine; *quisquis, quisquis, quoquersum*, &c. Particula *in* est admodum ambiguæ significationis; numerant Logici octo modos inessendi (ut loquuntur) quibus nonum bene annumerare potuissent; ni.res *in tempore*. Verum unicus tantummodo est horum modorum, qi proprie dici potest modus inessendi: id est, res *in loco*; ut Petrus *in domo*, vinum *in poculo*. Proprie igitur dici potest lutum subjectum *inhæsionis*, cum qis *in* eo immergitur: improprie vero Anima respectu gratiæ, vel paries respectu albedinis, subjecta *inhæsionis* dicuntur: proprie tamen satis dicitur sanguis *in veste*. Cæteræ phrases ut plurimum resolvuntur per Genitivum casum; sic *totum* & *pars* inter se comparata, *partes* sunt *totius partes*; non *in*

toto.

toto. Nos ſumus *in tempore*; id eſt, nos *temporamus* (ſi qis poterit notionem apprehendere ex hac barbara voce.) Rex eſt *in* Regno; id eſt, habet, poſſidet Regnum, regnat. Longam orationem poſtularet omnem particularum ambiguitatem diſcutere; ſed cum hoc noverint docti ad qos jam ſcribo ſine me preunte præſtare, cumqe etiam ſatis determinatæ ſint ex Tabulis, ideo hic amplius non expatiar.

Tenendum ſub Nomine particularum contineri, Notiones vulgo à Grammaticis, Conjunctiones, Præpoſitiones, & Interjectiones appellatas; qæ poſteriores formantur ab Animi paſſionibus, ut, *pom*, nota Admirationis; *puf*, ecce, *prob*, hei vah, &c. Adverbiorum vero Flexio, eſt caſus ab his diſtinctus, modum actionis ſignificans; ut *pomeſai*, admiranter, *pomſai*, amanter, &c.

Notandum etiam in Tabulis Accidentium, licet poſuerim Notiones primitivas, vocibus Latinis expreſſas; aliqando Verbaliter, aliqando Nominaliter; idqe nonnunqam in ſenſu Adjectivo, nonnunqam Subſtantivo Concreto, nonnunqam abſtracto; tamen notio Radicalis & prima, concipienda eſt in ſenſu Abſtracto, qod Lingua Latina (in hoc vere Barbara) ſine Barbariſmo exprimere non ſinebat. Sic, hæ Notiones, *Dominus*, *Servus*, *Rex*, non ſunt exprimendæ per ſolas voces Radicales; ſed voci Radicali addenda eſt terminatio *el*: *e* enim eſt ſignificativa Adjectivi a-

gentis; *l* vero personæ; sic, *Kamel*, *Kramel*, *Kanel*.

Notandum ultra, *v* in principio dictionis est Characteristicon vocis numeri significativæ: Hoc fit ne fiat confusio inter voces Numericas, & voces aliarum notionum significativas hujus Linguæ. Præterea voces Numerorum Ordinalium formantur à vocibus Cardinalibus, adsciscendo literam servilem *s*, & *a* Flexionis Adjectivæ significativam; sic, *vasa*, *vusa*, *vesa*, *&c.* primus, secundus, tertius.

Ultimum quod hoc loco addam erit de Mensuris. Mensuræ, cum non minus sint & arbitrariæ, & variæ apud varios Populos, quam sunt voces Linguarum; ideo æquum judico in hac Lingua Philosophica, ut rejectis omnibus vulgaribus Mensuris, non minus quam Vocibus, novæ Mensuræ primus formentur quam iis significandis Nomina instituantur. Verum quidem est, cum nulla detur determinata quantitas à Natura, quæ sit primum Principium & Regula mensurandi, arbitrium necessario est admittendum in mensuris constituendis, non minus quam in primitivis vocibus instituendis: Verum si unum primum principium ex Arbitrio admittatur in unoquoque genere Mensuræ, hoc erit Regula Mensurandi quamlibet quantitatem; nec necessarium erit, dato semel hoc primo principio Mensuræ, instituere diversas & distinctas voces ad significandos distinctos gradus

Mensuræ

Menſuræ in eodem Genere; ſed omnes aliæ Menſuræ exprimendæ eſſent per diviſionem vel multiplicationem primæ Menſuræ. Sic, ſuppoſito quod in genere Ponderis, *ounce* eſſet primum principium Menſuræ; Menſura vulgo *pound*, eſſet exprimenda 16 *ounces*. Nolo hic in me ſuſcipere, quid ſit iſtud principium menſurandi in ſingulis generibus Menſurarum determinare; ſed rem hanc (cum aliis) virorum doctorum judicio, in hac Materia me magis verſatorum ſubjicio; opinionem tamen meam hic ſic offero: Minima Menſura quæ a viris doctis uſum obtinuit in menſurando debet primum principium menſurandi conſtitui.

Aliam præterea rationem determinandi Menſuras; & ſic Nomina illis imponendi in hac Lingua cogitavi; *viz.* Cum (ut dictum) omnis determinatio Menſuræ ſit res omnino arbitraria, & Menſuræ apud varias Gentes variæ ſint; ideo Regulam menſurandi conſtituere Menſuras apud nos Brittannos in uſu: Si enim Arbitrium neceſſario ſit admittendum, conſentaneum videtur, ut noſtrum Arbitrium hic præferatur; ut ſciant aliæ Nationes unde hæc Ars primam originem duxerit. Verum cum noſtræ Menſuræ, non minus quam aliorum populorum ſint ſine ratione inſtitutæ; id eſt, variæ denominationes Menſurarum in eodem Genere Menſuræ, non diſtinguantur & excedant ſe invicem, ſecundum regularem & eandem quantitatis

titatis proportionem, *e.g.* 4 *farthings* (quæ est minima Mensura in Genere Pecuniæ) faciunt unum *penie*, 12 *pences* faciunt unum *shilling*; 5 *shillings*, unum *crown*, 4 *crowns*, unum *pound* (eadem est irregularitas proportionis in aliis Mensuris) omnino contra scopum Linguæ Philosophicæ fuisset, his Mensuris sic determinatis Nomina imposuisse. Deinde non est supponendum; licet hæc Lingua ita invaleret, ut usum omnium aliarum Linguarum exterminaret, quod valde est improbabile (licet enim mihi admodum probabile videatur eam ita invaliturum in posteris seculis, ut omnes Gentes cultæ & Literatæ ea usuri fuerint, quomodo nos Europæi utimur Lingua Latina; non est tamen probabile, eam usum omnium vulgarium Linguarum penitus aboleturam) quod propterea omnes Nationes, Antiquas & usitatas Mensuras simul cum Linguis rejicerent.

Quare tertio omnibus his consideratis, concludo; nisi hunc arbitrarium morem mensurandi mutare possemus in Philosophicum, frustra esset Nomina Philosophica his Notionibus non Philosophicis instituere: Quapropter dum Gentes omnes consenserint mutare hunc mensurandi modum, retineant cum Arbitrariis Mensuris, etiam earum Arbitraria Nomina: Cum igitur sermo habetur in hac lingua de Mensuris alicujus Nationis, exprimantur per Nomina ab ipsis usitata, tanquam essent propria Nomina virorum vel Locorum.

Tenen-

Tene ndum tamen est; bene institui posse Mensuras Temporis (adeoque etiam in hac Lingua, Nomina, iis significandis) ad distinguendos diversos gradus vitæ in rebus Animatis: Ratio est, quia hic datur fundamentum inde ipsa; & ideo in omnibus fere Linguis vulgaribus, certi quidam gradus temporis vitæ, distinctis Nominibus insigniti inveniuntur: ut in homine, infantia, pueritia, adolescentia, juventus, status adultus, senectus. Quidam etiam distincti gradus notantur in plantis & brutis.

Quamobrem in homine Creaturarum viventium perfectissima, admitto quinque distinctos gradus temporis vitæ; quos distinguo per voces numericas voci speciei significativæ additis. Sic, 1. Infantia. 2. Pueritia. 3. Adolescentia. 4. Status adultus. 5. Senectus; *uvva*, *uvv*ª, uvve, uvvo, uvvu. Sic, proportione servata, distingui possunt 5. ætates plantarum: Prima, dum ex semine surgit (in Arboribus vocant Angli *kikey*.) Secunda, Ætas est surculus tener. Tertia, Surculus procerior factus. Quarta, Planta adulta. Quinta, Valescens & marcescens. Idem dicendum de Brutis, in quorum Nominibus (præcipue Brutorum nobis maxime familiarium) etiam quædam vestigia hujus distinctionis in Linguis vulgaribus inveniuntur; sic Angli dicunt, *foal*, *colt*, *calf*, *heifer*, &c. quæ voces distinguunt duos primos gradus vitæ in his animalibus. Ratio autem quod hic admittam

mittam Numeros, ad harum Notionum differentias distinguendas, est; quod hæ differentiæ essentialiter pendeant a numero, in hoc enim solo casu admittendi sunt numeri ad rerum Differentias significandas. Ritio iterum quod Numeri ita sint inepti ad Rerum differentias distinguendas, est hæc; quia aliarum omnium Notionum quæ sub cognitione humana cadunt, Numeri sunt a sensibus maxime abstracti; ideoque anima humana (quæ dum corpori alligata Sensuum ministerio utitur) dum notionum pure Numericarum recordatur, cogitur Numeros applicare ad res sensibiles: Ita ut vere dici possit, omnem Intellectus operationem ultimo resolvi in numeros, & hos si non necessario semper (quod non audeo positive asserere) saltem sæpissime, primo rebus sensibilibus applicari.

Admitto etiam sex gradus mensuræ temporis in genere, vocibus numericis distingui, ni. *minutum, hora, dies, septimana, mensis, annus*; sic, *danva, danve, danve*, &c. dici etiam potest, *danvai* septimana, *daniar* mensis, *danial* annus.

Hic ultimo teneatur de gradibus consanguinitatis & affinitatis; modus maxime proprius & Philosophicus, exprimendi has Relationes (quia scil. maxime secundum ipsius Rei naturam) est per voces desumptas a notionibus Primis & Radicalibus, in qibus hæ Relationes fundantur. Sic, pater *pogel*, id est, persona gignens; mater *patel* vel *pra-*

tel,

tel, id est, persona concipiens, vel pariens; avus, *pater secundus*; proavus, *tertius pater*; atavus, *quartus pater*, &c. Adeoque hoc sensu, Adam erit noster ultimus seu postremus pater. Sic filius *pagol*, id est, persona genita; nepos, *secundus filius*; pronepos, *tertius filius*, &c. Sic fratres, sunt *cognati primi* (nam teneatur, *steb*, significare consanguinitatis relationem collateralem, non eam quæ est in linea recta) *cognati secundi*, qi habent eundem avum; *cognati tertii*, qi habent eundem proavum, &c. Avunculus, id est, *frater patris*; matertera, id est, *soror matris*, &c. idem intelligatur de gradibus affinitatis, id est, periphrastice exprimendi sunt *mariti pater*, *mariti frater*, &c.

Sequitur reductio præcipuarum vocum Linguæ Latinæ, ad Notiones Radicales hujus Linguæ Philosophicæ.

Et hic tenendum: Cum hiç mihi tantummodo propositum sit, principia & fundamenta hujus Artis ita proponere, ut a viris doctis apprehendantur; ideo 1. Voces in Tabulis positis brevitatis causa hic non repetivi. 2. Nec omnes voces Latinas hic posui; maxima enim pars vocum quæ reperiuntur in Lexicis, vel sunt Derivativæ & Compositæ; ut, *bonus*, *bene*, *bonitas*, *benefacio*, &c. Vel tales sunt voces, qibus in aliis Linguis nullæ voces simplices respondent, sed periphrastice exprimuntur; quales sunt quamplurima Nomina *vestium*, *vasorum*, *ciborum*, &c. quarum explicationem,

per

per voces hujus Linguæ hic intendisse prolixum nimis fuisset; præterea etiam superfluum, cum viri docti satis sciant has voces resolvere per ea quæ hic tradita sunt: Auctius autem Lexicon in gratiam vulgi postea parabitur. 3. Nemo doctus expectabit me per voces hujus Linguæ redditurum eundem plane valorem omnium vocum aliarum Linguarum sine periphrasi; hoc enim est impossibile, quia esset labor infinitus. 4. In explicandis vocibus Latinis hic positis non usus sum longa periphrasi verborum, nec omnes earum varias acceptiones enumeravi; sed breviter tantum expressi præcipuas Radicales voces hujus Linguæ per quas explicandæ sunt: possunt etiam quædam Notiones quas ego per voces compositas expressi, aliquando pro re nata aptius periphrastice & divisim exprimi, & e contra; vocum tamen Compositioni, compendii & Emphasis causa, omnibus modis studendum est; & ad hoc faciendum cuique sua libertas linquitur, modo ratio Compositionis sit clara & evidens; in hoc enim summum Philosophiæ acumen apparebit, multiplicare per Compositionem & Derivationem signorum compendia Emphatica ex paucis Primitivis sine obscuritate.

Lexicon Latino-Philosophicum.

ABacus *sran.*
Abbas *kaf.*
Abdicare *soskafesu, trud sosslem.*
Abdere *dit.*
Abire *bempud.*
Abhine *shub lol dan, bem lol dad*
Abhorrere *prebesu sumpron, trof*
Abjurare *scabe trimesu*
Ablactatio *soffus, sofinn*
abolere *sofshanesu, grupesu, sofiavresu*
abominari *sumpronesu*
aboriri *pratesu sub danu*
abripere *dos don bemdep shekri*
abrogare *sofiavresu, soskebesu*
abrumpere *domesu donesu*
absolvere *kon shon sis*
abstemius *sosprafemp*
abstinere *trus preb tim sodesu*
absurditas *shib prem sostos*
abundantia *sumu sludu*
abusus *shig*
abyssus *dadbas*
academia *dadtem santem dadtu*
accendere *numesu, semesu num*
accidere *sakesu prk ded*
accingere *drod sitresu*
accipere *sprub*
acclivitas *blumu*
accolere *slid shumbem*
accommodare *slop sitresu*
acervus *drotor, — ind ut nufind*
acetum *flum* vel *flem gruba*
acies *bubu*
acqiescere *dram tup*
acqirere *stis spum*
aculeus *sabdik*
acumen *bubu primu*
additamentum *shunu drose, tuno*
adeo *sum lolsus ses*

adjuro *skab*
adipisci *spun sprub sug stis*
administratio *kas, kram*
admittere *slaf prudesu tuf*
admodum *sum*
adnihilare *sofiavresu*
adolere *numesu skagu gub*
adolescens *uu daba uvve*
adoptare *tudesu sut pogol*
adoriri *kum*
adorare *skaf tud stuf*
adesse *dap*
advena *stred*
adversus *shom*
adulterium *kuf*
Ædis *fan*
Æger *grug*
Æmulari *put*
Ænigma *tidu trifo, shepa*
Æqalitas *slun stlum*
æqanimitas *pib pod*
æqilibrium *slun drm*
æqitas *kef sid grat*
æqinoctium *slun dangom dangrom*
æqipollentia *sefu sluna*
æqivocus *tose shumir*
ærugo *grupu suf nefgob*
ærumna *prob pred*
ærarium *sansum*
æstas *dangam*
æstus *gamu shuna, damu shu-*
ætas *dansup* (*na suf is*
æther *nam, num*
ævum *danial vali*

affectus *peb, pis, pot*
afferre *bramdep*
affinitas *streb sted*
affligere *kof ship prob kum*
ager *nom nuba, flano*
agger *rup nomind*
aggredi *sem kum*
agrestis *stran*
agilitas *sprut, dam, sod*
agmen *shum —ind*
agricola *nomipupel*
agnatio *steb*
agnomen *ton suba*
agnus *nekpimva*
ah *prob*
ahenum *fren nefgoba*
alabrum *sabsramdef*
alacer *pob prim*
alapa *digu suf smus*
albugo *shunu gofa sut mus suf snur*
alchymia *temu suf gakrtu*
alea *mib spafa* (*suf nef*
alias *danslom*
alibi *dadslom*
